Abt. 15
31

31

Archives nationales de Luxembourg (ANLux), SHL-Abt15-0031

PUBLIC DOMAIN

apud antiquos moos erat horas numerare ut
videre in ritual. de Sacrificio missae pag 106 Jesuit.

horae		apud nos
III	id est	9 ante meridiem
et post meridiem		
IX	id est	3 nostra

III	a post meridiem	9
IV.		10.
V		11
VI	meridies	12
VII		1
VIII		2
IX.		3.

Lexicon ex. a Jac. Pisayer Societ. Jesu edit 5 moguntiae 1747. Pag. 147.
Hermitrax mensurae genus. Hall eyrdrat rinnen maß, Hall fridlein
Hermitarius daß ein fahß rinnen maß hält.

Dies di idebatur in 4 quadrantes quorum quilibet habebat horas terras

I. incipiebat ab ortu Solis	7.
II.	8.
III. 1us quad.	9
IV.	10
	11
VI. meridies. 2us quad	12
VII.	1.
VIII	2
IX 3us quad.	3.
X	4
XI	5
X. Solvebatur cum sol occid.	6

Nox similiter in quatuor partes dividebatur. ac vigilia incipiebant post Solis occasum

I.	7.
II.	8
III 1us quad.	9.
IV.	10.
V.	11.
VI. media nox 2. quad.	12.
VII	1
VIII	2
IX 3us quad.	3
X	4
XI	5
XII terminatur ad aur.	6

31

B-2-11

15, 31

Joannis Laurentii Berti Fratris
Eremitæ Augustiniani Breviarium
Historiæ Ecclesiasticæ, usibus academicis
accommodatum. Augustæ Vindelicorum.
1752.

De Horis &c.

Sequitur pars minor diei, Hora ab Hom,
Lux appellatur unde Sol etiam, et Apollo
Horos vocatur; Sive ab. &c.

Id est terminare, ac definire, quod horæ
partes dierum definiant ac dividant. Fuerunt
olim horæ idem, ac quatuor anni partes, Ver,
Æstas, Autumnus et Hyems. Hujus
petitionis causa dicuntur Horæ apud
Nasonem citato lib. I. Fastorum, una cum Jano
id est, Sole servare, et custodire cardines cœli,
atque apud Horatium Lib. Ode XII. mundum
temperare. Propter quatuor illas horas, vel
anni tempora gentes consecrasse Soli quadrigas,
scribit Isidorus Lib. 18. Originum Cap. 26.

Horas deinde Ægyptii in duodecim Diei partes
dissecuerunt, eo Animal Serapi dicatum
duodecies in die mingeret æqualibus intervallis
Duplicatus tandem est Numerus, et ex duodenis
horæ factæ viginti quatuor. Vide Lib. I.
Saturnalium Cap. 23. apud Macrobium.

15, 31

Duodecim Horas Diei ac totidem noctis numerabant tempore adventus Dominici Romani pariter, et Judæi. Idcirco Dominus universas Diei partes significans inquit Joannis 11. 9. „ Nonne „ Duodecim sunt horæ diei "? In quatuor enim quadrantes diem partiebantur, quorum habebat quilibet horas ternas; ac prima incipiebat cum ortu Solis, Sexta in meridie, duodecima vero absolvebatur cum Sol occideret. Præcipue tamen cujuslibet quadrantis priorem Horam Primam nempe tertiam, Sextam et Nonam judæi Orationis causa observabant. Tertia enim, Sexta et Nona Sacrificia precesque fieri solebant quod præter Hebræos docent nos Cyprianus de Oratione Dominica et Hyeronymus ad Caput 7. Danielis, et in Epistolis ad Lætum et ad Demetriadem. In Cap. 10. „ Numerorum " Præcipitur, ut festis diebus Horæ ipsæ tubarum sonitu significentur. Capropter illas vocat Tertullianus in libro de Jejuniis „ Insigniores „ in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ „ negotia distinguunt, quæ publice resonant. "

Cum tres illæ Horæ essent cæteris notiores illarum designatione indicabatur medium illud tempus, quod inter unam, et alterom Orationis Horam intercedebat. Ita Hora tertia usque ad meridiem; Nona usque ad Solis occasum computabatur, ex his colligimus Horam „ Sextam, qua Crucifixus est Dominus, fuisse meridiem impleturque Vaticinium Amos 8. 9. „ Et „ erit in die illa dicit Dominus Deus: Occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis. " Apparet etiam, nullam esse antilogiam inter Marcum Evangelistam asserentem Cap. 15. 25. Christum affixum Cruci Hora Tertia, et Joannem scribentem Cap. 19. 14. patratum hoc scelus „ Hora quasi sexta. " Verum id contigit medio tempore inter Tertiam, et Sextam horam nondum exacto.

Ut Diem, ita noctem in quatuor partes primum Romani, dein Judæi diviserunt, quas appellarunt „ Vigilias " a militum nocturnis excubiis. Quatuor illæ vigiliæ tribus horis singulæ constabant, ac erant tempore hyemali longiores, et breviores æstivo. Etsi autem erant olim apud Hebræos tres vigiliæ, teste David Kimchi; à temporibus tamen Pompeii, qui Jerosolymam expugnavit anno R. jul. 4653. ante Vulg. æram 63 iidem Judæi cum Romanorum moribus congruentes, statuerunt quaternas: De Primi Vigiliæ seu Vigiliarum initio vide Hyeremiam Thren. 2. 19. Secundam ac Tertiam commemorat Lucas 12. 38. Quartam Matthæus 14. 25. et Marcus 6. 48.

Quarta hæc vigilia Matutina appellatur Exodi 14. 24. et secundum Gallicinium apud Synesium, et Christophanem. Gallus enim in medio noctis, et sub adventum lucis edit cantum. In eadem vigilia conspici solem in vertice montium Caisii in Arabia Petræ scribit Plinius lib 5 cap. 22. Non ergo differt ab hac vigilia Aurora quam gentes Marutam et ~~ee~~ eo hoc albam Deam nuncuparunt: de qua Strabo lib XI. Geographiæ Hyginus fab 2. et Cicero in I Tusculan. Ex his inferitur, in Aurora demersum Pharaonis exercitum, Petrum ejusque Naviculam jactatam fluctibus evasisse naufragium, eundem Petrum tertio negasse Magistrum, et hunc opus redemptionis inchoasse quemadmodum Pontifex Hebræorum sacerdotale munus auspicabatur. Nam hæc omnia in quarta vigilia, et in secundis Gallicinijs evenisse commonstrant loca paulo supra producta.

At Vigiliis quas memoravimus nomen traxerunt nocturnæ preces quibus veteres Christiani vacabant. De his plura in libello precum Marcellini et Faustini, in lib. 3. institutionum Cassiani, in libris pertractibus de Ritibus Eccl. Isidori, Honorii aliorumque et in Cardinalis Bona Divina Psalmodia. His autem Vigiliis abrogatis exceptis, quæ agunturin Natali Dominico Vigilias consuevimus appellare dies festos, et interdum officia maxime Defunctorum, quæ nocturnis olim vigiliis persolvebantur.

Sancti Patris Nostri

Benedicti

Regula et vita.

Ab Exemplari Romæ

Sumptibus Leonardi Rommerskirchen

Impresso

Anno MDCCXXXI.

Excepta vero et

Descripta

In Abbatia Schoenaugiensi.

Anno MDCCCI.

S. Gregorius Romanus
XX. hujus nominis primus de Approbatione Regulæ sanctissimi Patris Benedicti ex Privilegio Monasterio Sublacensi concesso.

Ego Gregorius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul, scripsi vitam Beati Benedicti, et legi Regulam quam ipse Sanctus manu propria scripsit, laudavi eam, et confirmavi in Sancta Synodo: et per diversas partes Italiæ ubicunque Latine legerentur, præcepi, ut diligentissime observaretur quicunque ad conversationis gratiam accessuri essent, usque ad finem mundi, et confirmo duodecim monasteria quæ ipse Sanctus construxit.

Regula
Ss. Patris Nostri
Benedicti Abbatis.

En vitæ tibi norma datur, monachalis imago
Pingitur, ac radiat Religionis apex.
His animus concors Monachi deprimat ideam.
Virtutum celsos associando gradus.
Vis Cordis penetrale micet, perfectio mentem
Imbuat et verus pectore crescat amor.

Prologus

Aure pii Patris doctrinam fervidus hauri,
Ut mens amissum subdita quærat iter.
Surge igitur lumbos castos munimine cingens
Cœlestisque Scholæ limina promptus adit.

1. Jan. 2. Maji. 1. Septemb.

Auscultà ô fili, præcepta Magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii Patris libenter excipe, et efficaciter comple, et ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo

dirigatur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis. In primis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima orationes deposcas, ut qui nos jam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est ut non solum, ut iratus pater nos aliquando filios suos exhæredet, sed nec metuendus Dominus irritatus malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum sequi noluerint ad Gloriam.

Nunc attende et ostende
Quod docet Regula:
Ora Deum quære eum.
Mens sit Christo subdita,
Ne obscuræ cedas pœnæ,
Sed Beeris Gloriæ.

2. Jan. 3. Maji. 2. Septemb.

Exurgamus ergo hodiem aliquando excitante

nos scriptura, ac dicente: Hora est jam nos de somno surgere, et apertis oculis nostris ad Deificum lumen, attonitis auribus audiamus, divina quotidie clamans quid nos admoneat vox, dicens: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. et iterum: qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et quid dicit: venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant.

Nunc fœdorum vitiorum.
Cone somnolentiam:
Cor ne longa mergat umbra;
Luci pande januam.

3. Jan. 4. Maji. 3. Septemb.

Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum iterum dicit: Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos; Quod si tu audiens, respondeas, Ego dicit tibi Deus: Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labra tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum: inquire pacem, et sequere eam. Et cum hæc fecerits, oculi mei super vos, et aures meæ ad preces vestras. et antequam me invocetis dicam: Ecce adsum. Quid dulcius nobis hâc voce Domini, invitantis nos, Fratres Carissimi? Ecce pietate suâ demonstrat nobis Dominus viam vitæ.

Succinctis ergò fide, et observantiâ bonorum actuum, lumbis nostris, et calceatis pedibus in præparatione Evangelii pacis per ducatum Evangelii pergamus itinera ejus: ut mereamur eum, qui nos vocavit, in Regno suo videre. In cujus Regni Tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minime pervenitur.

Si vis sine vitam sine,
linguam frena tempora,
vita malum, et fac bonum,
his perrumpes sidera.

4. Jan. 5. Maj. 4 Septemb.

Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo;

Post hanc interrogationem, Fratres audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi ac dicentem. qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam: Qui loquitur veritatem in corde suo: Qui non egit dolum in linguâ suâ: Qui non fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximum suum: Qui malignum diabolum aliqua suadentem, sibi cum ipsâ suasione suâ à conspectibus cordis sui respuens, dedurit ad nihilum, et parvulos cogitatus ejus tenuit, et allisit ad Christum.

Cor sincerum loquens verum,
Purum sine maculâ,
Satan videns, Christi fidens,
Cœli scandit atria.

5. Jan. 6. Maji. 5. Septemb.

Qui timentes Dominum, de bonâ observantiâ suâ non se reddunt elatos: sed ipsi in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da Gloriam. Sicut nec Paulus Apostolus de

praedicatione suâ sibi aliquid imputavit, dicens: Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum ipse dicit: Qui gloriatur in Domino glorietur. Unde et Dominus in Evangelio ait: Qui audit verba mea haec, et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit Domum suam supra Petram: venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam et non cecidit: fundata enim erat supra petram. Haec complens Dominus exspectat quotidie, his suis Sanctis monitis, factis nos respondere debere.

Quidquid agis prium facis,
Vestiat humilitas:
Nam quod agis et quod facis.
Dat Dei benignitas.

6. Jan. 7. Maji. 6. Septemb.

Ideo nobis propter emendationem malorum, hujus vitae dies ad induciias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit; Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris; Sed ut convertatur, et vivat. Cum ergo interrogassemus Dominum Fratres de

habitatoribus tabernaculi ejus, audivimus habitandi praeceptum: Sed si compleamus habitatoris officium, erimus haeredes regni coelorum. Ergo praeparanda sunt corda nostra et corpora, Sancta praeceptorum obedientia militatura: et quo minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, ut gratia sua jubeat nobis adjutorium ministrare: Etsi, fugientes gehennae poenas, ad vitam perpetuam volumus pervenire, dum adhuc vacat, et in hoc corpore sumus, et haec omnia per hanc lucis viam vacat implere, currendum et agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat

Ut cor meum flectat Deum,
Datur vita longior:
Ardens ora, fervens plora,
Ne sit, tela brevior,
Omni horâ sine morâ
Te submitte promptior.

7. Jan. 8. Maji. 7. Septemb.

Constituenda est ergo à nobis Dominici Schola servitis: in quâ institutione nihil asperum, Nihilque grave nos constituros

speramus. Sed et si quid paululum restrictius dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum et conservantiam charitatis processerit, non illico pavore perterritus, refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio accipienda. Processu vero conservationis et fidei, dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur viâ Mandatorum Dei: ut ab ipsius magisterio nunquam discedentes, in ejus doctrinâ usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemur, ut et regni ejus mereamur esse consortes.

Hic in Solâ Christi Schola
Promitur Scientia;
In quâ grave fit suave
Metuum frequentiâ:
Cor ut Christo crucifixo
Conformetur jugiter.
Ac mens demum videns Deum
Gaudeat perenniter.

Regula
Ss. P. N.
Benedicti Abbatis
Caput. I.
De Generibus vel vitâ Monachorum.

Quatuor enumerat Monachorum stemmata, quorum
Bina priora probat, posteriora vetat.

S. Jan. 9. Maji. 8. Septemb.

Monachorum quatuor esse genera manifestum: Primum, Coenobitarum hoc est monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum, horum qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturnâ, didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti, propugnare: et bene instructi, fraternâ ex acie ad singularem pugnam eremi, securi, jam sine consolatione alterius, solâ manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo

auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium verò Monachorum deterrimum genus, est Sarabaitarum, qui nullâ Regulâ approbati, experientiâ Magistrâ, sicut aurum in fornace, sed in plumbi naturâ molliti adhuc operibus servantes seculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Quibini, aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas. cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum; et quod noluerint, putant non licere. Quartum verò genus, est Monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui totâ vitâ suâ per diversas Provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, et nunquam stabiles, et gulæ illecebris servientes; et per omnia deteriores Sarabaitis, de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere, quam loqui. His ergò omissis ad Coenobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Deo, veniamus.

Mundo vagans, carni vacans,
Vanitatem æmulus,

Mente vagus, pede vagus;
Non est verè Monachus
Cellam colens, Deum colens;
Claustri custos sedulus:
Cœlum sternens, hostem spernens,
Hic est verè Monachus.

Caput. II.

Qualis debeat esse Abbas.

Succinctè excellens Abbatis munus adumbrat,
Ut prius hæc faciat, quæ facienda jubet.

9. Jan. 10. Maji. 9. Septemb.

Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, et nomen majoris factis implere: Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: accipietis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ideòque Abbas nihil extrà præceptum Domini (: quod absit :) debet aut docere, aut constituere, vel jubere: sed jussio ejus vel doctrina, fermentum divinæ justitiæ, in

discipulorum mentibus conspergatur.

Patris nomen magnum omen,
Factis tuis exprime,
Vox seu doceris sive jubens,
Sit sapor Justitiae.

10. Jan. 11. Maji. 10. Septemb.

Memor sit semper Abbas, quia doctrinae suae vel discipulorum obedientiae utriusque rerum in tremendo judicio Dei faciendae erit discussio. Sciatque Abbas, culpae pastoris incumbere, quidquid in ovibus Pater-Familias utilitatis minus potuerit invenire. Tantum iterum liber erit, ut si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita: Pastor earum in judicio Domini absolutus dicat, cum Prophetâ ~ Domino: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare ~ tuum dixi: Ipsi autem contemnentes ~ spreverunt me, et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens

ipsa mors.

Sic dispone falsa pro me,
Ut te sistas judici:
Non monentem fer parentem
Poenam solves vindici.

11. Jan. 12. Maji. 11. Septemb.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis praeesse discipulis, id est, omnia bona et sancta factis amplius, ~ quam verbis ostendat: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat: duris vero corde et simplicioribus, factis suis divina praecepta demonstret. Omnia vero quae discipulis docuerit contraria in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans, ipse reprobus inveniatur: ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum; Tu vero ~ odisti disciplinam, et projecisti sermones ~ meos post te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas; in tuo trabem non vidisti.

Regula.

Gradicandum et prastandum
Verbis, factis praferet.
Ne festuca dum sub curâ
Grandis trabs permaneat.

12. Jan. 13. Maji. 12. Septemb.

Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non unus plus ametur, quam alius, nisi quem in bonis actibus aut in obedientiâ invenerit meliorem. Non praponatur ingenuus ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita, justitia dictante Abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat. Sin alias, propria teneant loca: quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino aequalem servitutis militiam bajulamus, quia non est personarum acceptio apud Deum. Solum modo in hac parte apud ipsum discernimur si meliores aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. Ergo aequalis fiat ab eo omnibus caritas, una praebeatur omnibus, secundum merita disciplina.

Acceptarum personarum
Claustro nota exulet,
Praestandarum gratiarum
Labor formam judicet.

13. Jan. 14. Maji. 13. Septemb.

In doctrinâ namque suâ Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in quâ dicit arguc, obsecra, increpa, id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium patris ostendat affectum: id est, indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare, negligentes autem et contemnentes ut increpet, ut corripiat, admonemus.

Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut ceperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Sila. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, primâ vel secundâ admonitione verbis corripiat, improbos autem et duros, ac superbos vel inobedientes

verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: ~ stultus verbis non corripitur. Et iterum: percutiens filium tuum virgâ, et liberabis animam ejus à morte.

Blanda piis, dura diris,
Miscens rebus tempora:
Bonis Pater, pravis Mater,
Blanda præbe viscera:
Obstinatum surgens malum
In radices amputa.

14. Jan. 15. Maj. 14. Septemb.

Meminisse semper debet Abbas, quod est, meminisse debet, quod dicitur, et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit, regere animas, et multorum servire moribus. Et alium quidem blandimentis, ~ alium verò increpationibus, alium suasionibus: et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam ità se omnibus conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis ~

sibi commissi non patiatur; verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.

Unctionis, functionis
Exigetur ratio,
Grande munus dum tot unus
Regit sine tædio.

15. Jan. 16. Maj. 15. Septemb.

Antè omnia, ne dissimulans aut ~ parvipendens salutem animarum sibi ~ commissarum non plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis, terrenis atque caducis, sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè ~ substantiâ, meminerit scriptum: ~ Primùm quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Et iterum: Nihil deest timentibus eum.

Sciatque quia qui suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et ~ quantum sub curâ suâ fratrum se habere

Scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita et sua anima. Et ita semper timens futuram discussionem Pastor de creditis ovibus cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus. Et cum de monitionibus suis emendationem alii subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.

Ne tortuosa fumis plena
Praferat coelestibus:
Animarum lytrum eorum
Censet sollicitus;
Quaerat Fratrum cor paratum,
Mundam Conscientiam,
Sanctitatem, Caritatem,
Puram Dei gloriam.

Caput III.

De adhibendis ad Consilium Fratribus:

Cum meliora Deus minimis persaepe revelet,
Junior interfit cum sene consiliis.
16. Jan. 17. Maji. 16. Septemb.

Quoties aliqua praecipua agenda sunt in

Monasterio, convocet Abbas omnem congregationem, et dicat ipse, unde agitur: et audiens Consilium Fratrum, tractet apud se, et quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia saepe juniori Dominus revelat, quod melius est, Sic autem det Fratres Consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non praesumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis convenit obedire Magistro, ita et ipsum provide et justè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab eâ temerè devietur à quoquam.

In re gravi salutari
Utere consilio;
Nullum temne, nec intende
Proprio judicio.

17. Jan. 18. Maji. 17. Septemb.

Nullus in Monasterio proprii cordis sequatur Voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve intus vel foris Monasterii contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei et observatione Regulæ omnia faciat; sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo Judici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est: omnia fac cum consilio, et post factum non pœnitebis.

Cordis motum dando votum
Non sequaris anxius:
Si non facis Abbas satis,
Pœnas dabis ocyus.

Caput IV.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

Plurima discipulo tradit documenta Magister,
Ut virus renuens dulcia mella legat.

18. Jan. 19. Maji. 18. Septemb.

In primis Dominum Deum diligere ex toto

corde, tota anima, tota virtute.
2. Deinde Proximum tanquam seipsum.
3. Deinde non occidere.
4. Non Adulterari.
5 Non facere furtum.
6. Non concupiscere.
7. Non falsum testimonium dicere.
8. Et honorare omnes homines.
9. Et quod sibi quis fieri non vult alii non faciat.
10. Abnegare semetipsum sibi ut sequatur Christum.
11. Corpus castigare.
12. Delicias non amplecti.
13 Jejunium amare.
14. Pauperes recreare.
15. Nudum vestire.
16. Infirmum visitare.
17. Mortuum sepelire.
18. In tribulatione subvenire.
19. Dolentem consolari.
20. A sæculi actibus se facere alienum.
21. Nihil amori Christi præponere.

Deum clama, fratrem ama,
Nulli malum inferas:
Cunctis honor, nullis moeror,
Nihil Christo præferas.

19. Jan. 20. Maji. 19. Septemb.

21 Iram non perficere.
23. Iracundiæ tempus non reservare.
24. Dolum in corde non tenere.
25. Pacem falsam non dare.
26. Caritatem non deliquere.
27. Non jurare, ne fortè perjuret.
28. Veritatem ex corde et ore proferre.
29. Malum pro malo non reddere.
30. Injuriam non facere, sed factam patienter sufferre.
31. Inimicos diligere.
32. Maledicentes se non remaledicere sed magis benedicere.
33. Persecutionem pro justitiâ sustinere.
34. Non esse superbum.
35. Non vinolentum.
36 Non multum edacem.
37. Non somnolentum.
38 Non pigrum.
39 Non murmurosum.
40. Non detractorem.
41. Spem suam Deo committere.
42. Bonum aliquid in se cum viderit Deo applicet, non sibi.

43 Diem judicii timere.
44. Gehennam expavescere.
45. Vitam æternam omni concupiscentiâ spirituali desiderare.
46 Mortem quotidie antè oculos suspectam habere.
47. Actus vitæ suæ omni horâ custodire.
48 In omni loco Deum se respicere pro certo scire.

Ira sit mota quietâ,
Nulli fac injuriam:
Fige mortem vitæ sortem
Per Dei præsentiam.

20. Jan. 21. Maji. 20. Septemb.

49. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere.
50 Et seniori spirituali patefacere.
51. Os suum à malo vel pravo eloquio custodire.
52 Multum loqui non amare.
53 Verba vana et risui apta non loqui.
54. Risum multum aut excessum non amare.
55. Lectiones sanctas libenter audire,
56. Orationi frequenter incumbere:
57. Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in Oratione Deo confiteri: de ipsis malis de cætero emendare.

26.

58. Desideria carnis non perficere; voluntatem propriam odire.

59. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter (: quod absit:) agat. memores Dominici præcepti; Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite.

60. Non velle diei Sanctum, antequam sit, sed prius esse ut verus dicatur.

Mœrum istum fer ad Christum
Patri pia reddita;
Justa comple, corpus fonde,
Largum risum reseca.

21. Jan. 22. Maji. 21. Septemb.

61. Præcepta Dei factis quotidie adimplere.

62. Castitatem amare.

63. Nullum odire.

64. zelum et invidiam non habere.

65. Contentionem non amare.

66. Elationem fugere.

67. Seniores venerari.

68. Juniores diligere.

69. In Christi amore pro inimicis orare.

70. Cum discordantibus antè Solis occasum in pacem redire.

71. Et de Dei misericordiâ nunquam desperare.

Ecce hæc sunt instrumenta artis Spiritualis: quæ cum fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta; et in die judicii consignata, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum. Officina verò ubi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii, et stabilitas in congregatione.

Hæc sunt pia signa viæ
Practicandæ jugiter;
Quibus quivis Claustri civis
Floreat perenniter.

Caput V.

De Obedientiâ.

Exponit normam, Monachus quâ verus obedit,
Ut jussa Abbatis concomitetur opus.

22. Jan. 23. Maji. 22. Septemb.

Primus humilitatis gradus est obedientia sine morâ. Hæc convenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant: propter servitium sanctum quod professi sunt, seu

propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliquid imperatum à majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo, de quibus Dominus dicit: Obauditu auris obedivit mihi. Et iterum dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergò, hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus et quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur: et velut uno momento et prædicta magistri jussio, et perfecta discipuli operatio, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit; ideò angustam viam arripiunt. Undè Dominus ait: Angusta via est, quæ ducit ad vitam, ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in Cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur

sententiam, quà dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.

Jussis Patris addit fratris
Executrix opera,
Dum mandatur, relinquatur
Semiplena littera.

23. Jan. 24. Maji. 23. Septemb.

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus: si quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur: quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur: ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore, verum etiam in corde si murmuraverit, etsi impleat jussionem tamen acceptum non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione

emendaverit.

Lubens, volens, corde potens,
Expers foedi murmuris;
Auditutum Patris notum,
Ut Coelestis Numinis.

Caput VI.

De Taciturnitate.

Qui praesunt aliis, vult hos praeferre loquela;
Qui subsunt, etiam sancta tacere jubet.

24. Jan. 25. Maji. 24. Septemb.

Faciamus quod ait Propheta: Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam: obmutui et humiliatus sum, et silui à bonis. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter poenam peccati debet cessari. Ergò quamvis de bonis et sanctis ad aedificationem eloquiis, perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, vara loquendi concedatur licentia:

quia scriptum est: in multiloquio non effugies peccatum. Et alibi: Mors et vita in manibus linguae. Nam loqui et docere Magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit. Ideò, si quae requirenda sunt à priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requiratur, ne videatur plus loqui quam expedit. Scurrilitates verò vel verba otiosa, et risum moventia, aeternâ clausurâ in omnibus locis damnamus, et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

Fabularis et nugaris
Linguae rector languidus?
Vana promis, foeda vomis,
Non est verè Monachus.

Caput VII.

De Humilitate.

Bis senis gradibus scalam ad coelestia figit,
Queis humilis Monachus sidera celsa petat.

25. Jan. 26. Maji. 25. Septemb.

Clamat nobis divina Scriptura, fratres, dicens:

omnis qui se exaltat humiliabitur: et qui se humiliat exaltabitur. Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ. Quod se cavere Propheta indicat, dicens: Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me: sed quid? si non humiliter sentiebam; sed exaltavi animam meam: sicut ablactatus à matre suâ, ità retribues in animam meam. Unde fratres si summæ humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire: actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno jacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra vita in sæculo, quæ humiliato corde à Domino

erigitur ad cœlum. latera enim ejusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus et animam, in quâ latera diversos gradus humilitatis vel disciplinæ evocatio divina ascendendos inservit.

Vidit palam cœli scalam
Jacob humi recubans:
Effert casta hanc ad astra
Se se mens humilians.

26. Jan. 27. Maj. 26. Septemb.

Primus itaque humilitatis gradus est timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat, et semper sit memor omnium, quæ præcepit Deus: qualiter contemnentes Deum in gehennam propeccatis ineidunt, et vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper revolvat. Et custodiens se omni horâ à peccatis et vitiis, id est cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, sed et desideria carnis

amputare festinet.

Deum time sine fine.
Poenam dantem impiis:
Nam nil latet, cui patet.
Cor cujusvis hominis.

27. Jan. 28. Maji. 27. Septemb.

Aestimet se homo de coelis semper à Deo respici omni horâ, et facta sua in omni loco ab aspectâ divinitatis videri, et ab Angelis omni horâ renunciari. Demonstrat nobis hoc Propheta: cum cogitationibus nostris, ita Deum semper praesentem ostendit, dicens: scrutans corda et renes Deus. Et iterum: Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Et iterum dicit: intellexisti cogitationes meas à longe: et quia cogitatio hominis confitebitur tibi: nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas, dicat semper utilis Frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si observavero me ab iniquitate meâ.

Vidit Deus, ne sis reus.
Purga cor à maculis.

Actiones et sermones
Feruntur ab Angelis.

28. Jan. 29. Maji. 28. Septemb.

Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cum dicit Scriptura nobis: et à voluntatibus tuis avertere. Et iterum rogamus Deum in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergò meritò nostram non facere voluntatem cum cavemus illud, quod dicit Sancta Scriptura: Sunt viae quae videntur hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit. Et item cum cavemus illud, quod de negligentibus dictum est: corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis. In desideriis verò carnis ita nobis Deum credamus semper esse praesentem, cum dicit Propheta Domino: Ante te est omne desiderium meum.

Prasos ritus, appetitus
Forti freno tempera
Dei dantis et juvantis,
Corde robur suscipe.

29. Jan. 30. Maji. 29. Septemb.

Cavendum ergo est ideo malum desiderium quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde scriptura praecepit, dicens: post concupiscentias tuas non eas. Ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos. et Dominus de coelo semper respicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum: Etsi ab Angelis nobis deputatis die noctuque Domino factori nostro opera nostra nunciantur: cavendum ergo est omni horâ Fratres, sicut dicit in Psalmo Propheta: Nemos declinantes in malum, et inutiles factos aliquâ horâ aspiciat Deus, et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, et exspectans nos converti in melius, dicat nobis in futuro. Haec fecisti, et tacui.

Mala rectè circumspectè
Fuge desideria;
Ut terrenis ritè spretis,
Ambias coelestia.

30. Jan. 31. Maji. 30 Septemb.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam

quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Item dicit Scriptura: voluntas habet poenam, et necessitas parit coronam.

Velle, nolle totum tolle,
Promptus adsit animus
Ut sic scias Christi vias
Ingredi suavius.

31. Jan. 1. Junii. 1. Octob.

Tertius gradus humilitatis est, ut quis pro amore Dei, omni obedientiâ se subdat majori: imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus obediens usque ad mortem.

Te amore Dei fore
Sub obedientiâ.
Nil excludo sed concludo
Cor in patientiâ.

1. Febr. 2. Jun. 2. Octob.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsâ obedientiâ duris et contrariis rebus, vel etiam

38 quibuslibet irrogatis injuriis, tacitâ conscientiâ
patientiam amplectatur: et sustinens, non
lasseseat vel discedat, dicente Scripturâ: Qui
perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
Item confortetur cor tuum, et sustine Dominum.
Et ostendens, fidelem pro Domino universa etiam
contraria sustinere debere, dicit ex personâ
sufferentium: propter te mortificamur totâ
die. Æstimati sumus ut oves occisionis. Et
securi de spe retributionis divinæ subsequuntur
gaudentes et dicentes: sed in his omnibus
superamus propter eum qui dilexit nos. Et
item alio loco Scriptura: Probasti nos, inquit
Deus: igne nos examinasti, sicut igne
examinatur argentum: induxisti nos in laqueum
posuisti tribulationes in dorso nostro. Et ut
ostendat, sub priore debere nos esse, subsequitur
dicens: impesuisti homines super capita nostra.
Sed et præceptum Domini in adversis, et in
injuriis, per patientiam adimplentes, qui
percussi in maxillam, præbent et aliam:
auferenti tunicam dimittunt et pallium:

angariati milliarium, vadunt et duo; Cum Paulo
Apostolo falsos fratres et persecutionem
sustinent: et maledicentes se benedicunt.

Si laborem, ac dolorem
Dura infert justio;
Perseverans bona sperans
Forti præfer animo.

2. Febr. 3. Jun. 3. Octob.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes
cogitationes malas cordi suo advenientes, vel
mala à se absconsè commissa per humilem
confessionem Abbati non celaverit suo. Hortans
nos de hâc re Scriptura dicit. Revela Domino
viam tuam, et spera in eum. Et item dicit:
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam
in sæculum misericordia ejus. Et item Propheta
Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias
meas non operui dixi pronunciabo adversum
me injustitias meas Domino: et tu remisisti
impietatem cordis mei.

Cogitata, dicta, facta
Cuncta pande Præsuli,
Ut sincerus judex, verus
Candor micet animi.

3 Feb. 4. Jun. 4. Octob.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus, et ad omnia, quæ sibi injunguntur velut operarium malum et indignum se judicet, dicens cum Prophetâ: Ego nihilum redactus sum, et nescivi: ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.

Arma vile et exile,
Delectare despici:
Quidquid agis, quæ te magis
Spernis, places Numini.

4 Febr. 5. Jun. 5. Octob.

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem et viliorem, non solum suâ linguâ pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu humilians se et dicens cum Prophetâ: Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis exaltatus autem sum, et humiliatus, et confusus. Et iterum: Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam mandata tua.

Viliorem et pejorem
Omnibus te judicas:
Hæc se mentis submittentis,
Firma sit sententia.

5. Feb. 6. Jun. 6. Octob.

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, Nisi quod communis monasterii Regula, vel majorum cohortantur exempla.

Fœdos mores, et rumores,
Ne in claustrum inferas,
Quibus malis Monachalis
Violatur charitas.

6. Febr. 7. Jun. 7. Octob.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, et taciturnitatem habens usque ad interrogationem, non loquatur, monstrante Scripturâ: quia in multiloquio non effugietur peccatum: et quia vir linguosus non dirigetur super terram.

Depravatum cum peccatum
Causet multiloquium,
Conticendo ac silendo
Te monstrabis Monachum.

7. Feb. 8 Junii. 8. Octob.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu: quia scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam.

Risum vanum, inurbanum
Te frenando tempora:
Nori stultorum superborum
Mera hæc insania.

8 Febr. 9. Jun. 9. Octob.

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur Monachus, leniter et sine risu, humiliter et cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur: et non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

Crudens gravis ac suavis,
Pauca verba proferas,
Blandus ore, ne clamore
Mera concutias.

9. Febr. 10. Jun. 10. Octob.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non ipso solum corde Monachus sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est in opere, in Oratorio, in Monasterio, in horto, in agro, vel ubique sedens, ambulans, vel stans: inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni horâ de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei

præsentari æstimet: dicens sibi in corde semper illud, quod Publicanus ille Evangelicus fixis in terram oculis, dixit: Domine non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad coelum. Et iterum cum Propheta: Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque.

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire: non jam timore gehennæ, sed amore Christi, et consuetudine ipsa bona, et delectatione virtutum: quæ Dominus jam in operario suo mundo à vitiis et peccatis, Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.

Mente polum, vultu solum
Prona specta vertice,
Vitiorum ut malorum,
Exsolvaris pondere:

Caput VIII.

De Officiis Divinis in noctibus.

Æstas sit vel hyems, mediâ consurgite nocte:
Laudibus exactis mente superna fave.

10. Febr. 11. Jun. 11. Octob.

Hyemis tempore, id est, à Calendis Novembris usque ad Pascha, juxtâ considerationem rationis octavâ horâ noctis surgendum est, ut modicè amplius de mediâ nocte paubetur, et jam digesti surgant. Quod verò restat post vigilias, à Fratribus, qui Psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inservietur. A Pascha autem usque ad suprà dictas Calendas Novembris, sic temperetur horâ vigiliarum agenda, ut parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

Recollecto corde, lecto
Noctis surge medio:
Deum lauda, ut alauda
Vigil sine taedio.

Caput IX.

Quanti Psalmi dicendi sunt Nocturnis Horis.

Quot Psalmos hora nocturna tempore brumæ
Poscant, perspicuè disposuisse vides.

11. Febr. 12. Jun. 12. Octob.

Hyemis tempore, præmisso in primis versu, Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. In secundo ter dicendum est: Domine labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam. Cui subjungendus est tertius Psalmus, et Gloria. Post hunc Psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphonâ, aut certè indirectum decantandus. Inde sequatur Ambrosianum: deinde sex Psalmi cum Antiphonis: quibus dictis, dicto versu benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus in codice super analogium tres lectiones inter quas tria Responsoria canantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat Gloria. Quam dum incipit

Cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem et reverentiam S. Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis tam veteris testamenti, quam novi divinae auctoritatis: sed et expositiones eorum, quae à nominatissimis Doctoribus orthodoxis et catholicis Patribus factae sunt. Post has verò tres lectiones cum responsoriis suis sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi: post hos Lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda, et versus et supplicatio litaniae id est Kyrie eleison, et sic finiantur vigiliae Nocturnae.

Charitate, pietate
Pectus intus ardeat:
Mens amore et flagrore
Excitata ferveat.

Caput X.

Qualiter aestatis tempore agatur Nocturna laus.

Qualiter aestivo dicenda tempore laudes
Nocturna, hic apt sub brevitate docet.

12. Febr. 13. Jun. 13. Octob.

A Pascha autem usque ad Calendas Novembris,

omnis (: ut supra dictum est :) Psalmodiae quantitas teneatur; excepto, quod lectiones in codice propter brevitatem noctium minime legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus una de veteri testamento memoriter dicatur: quam breve Responsorium subsequatur, et reliqua omnia ut dictum est, impleantur, id est, ut nunquam minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias Nocturnas dicatur. exceptis tertio et nonagesimo quarto Psalmo.

Dormitanter, oscitanter
Horas si persolveris,
Mente vagas, sensu vagus
Poenas dabis scelleris.

Caput XI.

Qualiter Dominicis diebus vigiliae agantur.

Tale dies Domini de nocte celeusma requirit,
Semper ut unanimi laus pia voce sonet.

13. Febr. 14. Jun. 14. Octob.

Dominico die temperius surgatur ad vigilias in quibus vigiliis teneatur mensura id est, modulatis (: ut supra disposuimus :) sed Psalmis,

et versu, residentibus cunctis dispositè et per ordinem in subsellijs, legantur in codice ut suprà diximus, quatuor lectiones cum Responsorijs suis: ubi tantum in quarto Responsorio dicatur à cantante Gloria. Quam cum incipit, mox omnes cum reverentiâ surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, et versus. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum Responsorijs suis ordine quo suprà. Post quas iterum dicantur tria Cantica cum Alleluia Psallantur. Dicto etiam versu, et benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de novo Testamento ordine quo suprà. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas lectionem de Evangelio, cum honore et timore stantibus omnibus. Quâ perlectâ, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum: Te Deum laus et datâ benedictione incipiant Matutinos. Qui ordo vigiliarum omni tempore, tam

æstatis, quam hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi forte (: quod absit:) tardius surgant, et aliquid de lectionibus breviandum est, aut Responsorijs. Quod tamen omninò caveatur, ne proveniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in Oratorio, per cujus evenerit neglectum.

Ore uno, corde puro.
Deum si laudaveris,
Vigil fervens, et attendens,
Merces erit operis.

Caput XII.

Quomodo Matutinorum Solemnitas agatur.

Solemnis ritu quo matutina Synaxis
Laudibus adjunctis, sit peragenda refert.

14. Febr. 15. Jun. 15. Octob.

In Matutinis Dominico die in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphonâ indirectum. Post quem dicatur centesimus septimus, Decimus, et Sexagesimus secundus. Inde Benedictiones et laudes Lectio una de Apocalypsi ex

corde, et Responsorium et Ambrosianum: versus, Canticum de Evangelio, Litania: et completum est.

Promptiorem jam vigorem
Exigit solemnitas
Puriore ut fervore
Laudes solvas debitas.

Caput XIII.

Qualiter privatis diebus matutini agantur.

Privatis feriis disponens ordine Psalmos:
Tolle iram, Domini sub prece corde jubet.

15. Febr. 16. Jun. 16. Octob.

Diebus autem privatis et Matutinorum solemnitas ita agatur, id est ut sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphonâ, subtrahendo modicè, sicut Dominicâ, ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphonâ dicatur. Post quem alii duo Psalmi dicantur secundum consuetudinem, id est, secundâ feriâ quintus et trigesimus quintus. Tertiâ feriâ quadragesimus secundus et quinquagesimus secundus et quinquagesimus sextus. Quartâ feriâ sexagesimus tertius et

sexagesimus quartus: Quintâ feriâ octogesimus septimus et octogesimus nonus. Sextâ feriâ septuagesimus quintus et nonagesimus primus. Sabbato autem centesimus quadragesimus secundus, et Canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus Canticum unumquodque die suo ex Prophetis, sicut Psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur Laudes, deinde Lectio una Apostoli memoriter recitando: Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Evangelio, Litania, et completum est.

Vox sonora, mens devota
Deo promant cantica,
Semper munda, et fœcunda
Laudes fundant labia.

16. Febr. 17. Jun. 17. Octob.

Plane agenda Matutina, vel Vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, ut conventi per ipsius Orationis

Sponsionem quâ dicunt: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab hujusmodi vitio. Cæteris verò agendis, ultima pars ejus Orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur: Sed Libera nos à malo.

Gra molum tolle totum
Grace sub Dominicâ
Ut à Deo tibi reo,
Detur indulgentia.

Caput XIV.

Qualiter in Natalitiis Sanctorum agantur vigiliæ.

Quali Divorum, nocte solemnia ritu,
Mente humili deceat concelebrare vides.

17. Febr. 18. Jun. 18. Octob.

In Sanctorum verò festivitatibus, vel omnibus Solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ità agatur: excepto, quod Psalmi aut Antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes dicantur. Modus autem suprà scriptus teneatur.

Si Sanctorum Patronorum
Adsint Natalitia,
Horum festa, horum gesta
Cordis sonent intima.

Caput XV.

Quibus temporibus Alleluia dicatur.

Vox tam læta solet totum resonare per annum,
Ast jejunandi tempore tota silet.

18. Febr. 19. Jun. 19. Octob.

A Sancto Pascha usque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur Alleluia, tam in Psalmis, quam in Responsoriis. A Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex Posterioribus Psalmis tantum ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominicâ extrà Quadragesimam, Cantica Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaque cum Alleluia dicantur: Vespera verò cum Antiphonâ; Responsorio verò nunquam dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha usque ad Pentecosten.

Seraphino fac camino
Pectus intus ardeat,
Lætabundum et jucundum
Alleluia concinat.

Caput XVI.

Qualiter divina opera per diem agantur.

Septenis horis psallendo transige lucem,
Ut sine laude Dei tempora nulla fluant.

19. Febr. 20. Jun. 20. Octob.

Ut ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi: Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorique tempore, nostra Servitutis officia persolvamus: quia de his Horis diurnis dicit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de Nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro super judicia Justitiæ Suæ: id est Matutinis, Primâ, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorio, et nocte surgamus ad confitendum ei.

Mens devota licet tota
Die, sedet precibus:
Nunquam satis agit grates
Deo pro muneribus.

Caput XVII.

Quanti Psalmi per easdem Horas dicantur.

En tibi Psalmorum numerum caput exhibet istud,
Per totum debes quos recitare diem.

20 Febr. 21. Jun. 21. Octob.

Jam de Nocturnis vel matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ: nunc de sequentibus Horis videamus. Prima hora dicantur Psalmi tres sigillatim, et non sub una Gloria. Hymnus ejusdem horæ post versum, Deus in adjutorium meum intende, antequam Psalmi incipiantur. Post expletionem trium Psalmorum recitetur lectio una, versus, Kyrieeleison, et Missa fiat. Tertia verò, Sexta et Nona, eodem ordine celebretur Oratio: id est, versus, Hymni earundem Horarum terni Psalmi, lectio, versus, Kyrieeleison, et Missa fiat. Si major congregatio fuerit, cum Antiphonis: si verò minor indirectum psallantur. Vespertina autem Synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur, post quos Psalmos lectio recitanda est: inde Responsorium

Ambrosianum, versus, Canticum de Evangelio
Litania, et Oratio Dominica, et fiant Missæ.
Completorium autem trium Psalmorum —
dictione terminetur. Qui Psalmi directanea
sine Antiphonâ dicendi sint. Post quos
Hymnus ejusdem Horæ, lectio una, versus,
Kyrieeleison, Benedictio, et post Missæ fiant.

Mundus furit, venus urit,
Daemon vibrat spicula;
Sub securâ armaturâ
Precum pius advola.

Caput XVIII.

Quo ordine Psalmi dicendi sint.

Porro dicendi quonam sint ordine Psalmi,
Hic cernis Sanctum te docuisse Patrem.

22. Febr. 22. Jun. 22. Octob.

In primis semper diurnis Horis dicatur versus:
Deus in adjutorium meum intende: et Gloria.
Inde Hymnus uniuscujusque Horæ. Deinde
Prima Hora Dominica dicenda quatuor —
Capitula Psalmi centesimi octavi decimi:
Reliquis verò Horis, id est Tertia, Sexta et
Nona, terna Capitula supra scripti Psalmi
Centesimi Octavi decimi dicantur. Ad —

Primam autem Secundæ feriæ dicantur tres
Psalmi, id est Primus, Secundus, et Sextus.
Et ità per singulos dies ad Primam, usque
ad Dominicam dicantur per ordinem terni
Psalmi, usque ad nonum decimum Psalmum.
Ità sanè, ut nonus Psalmus et Septimus
decimus, dividantur in binas Glorias, et sic
fiat ut ad vigilias Dominica semper à
vicesimo incipiatur. Ad Tertiam verò,
Sextam, et Nonam Secundæ feriæ novem
capitula; quæ residua sunt de centesimo
decimo octavo Psalmo, ipsa terna per easdem
Horas dicantur.

Vento laudis dum tu plaudis
Rodit opus tinea:
Meritorum nam vigorem
Vana tollit gloria.

22. Febr. 23. Junii. 23. Octob.

Expenso igitur Psalmo centesimo octavo
decimo duobus diebus, id est, Dominica et
Secundæ feria, Tertia feria jam ad Tertiam,
Sextam et Nonam psallentur terni Psalmi,
à centesimo nono Decimo usque ad —
centesimum vigesimum septimum, id est,

Psalmi novem. Quique Psalmi semper usque ad Dominicam per easdem Horas itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum, vel verbuum dispositione uniformi cunctis diebus servata, et ita scilicet, ut semper Dominica à centesimo octavo Decimo incipiatur.

Vis ad polum, Dei thronum
Penetret oratio?
Exposcentem firmet mentem
Humilis submissio.

23. Febr. 24. Jun. 24. Octob.

Vespera autem quotidie quatuor Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur à centesimo nono, usque ad centesimum quadragesimum septimum, exceptis his, qui in diversis Horis ex eis sequestrantur, id est à centesimo septimo decimo usque ad centesimum vigesimum septimum, et centesimo trigesimo tertio, et centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt, tres Psalmi, ideo dividendi sunt, qui in numero supra scripto fortiores

inveniuntur, id est centesimus trigesimus octavus, et centesimus quadragesimus quartus: Centesimus verò sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergò ordine Psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, Responsoria, Hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxavimus, impleantur. Ad Completorium verò idem Psalmi repetantur quotidie, id est, quartus, nonagesimus, et centesimus trigesimus tertius.

Mundi curas et puncturas
Extrahe de pectore,
Ut orando vel amando
Liber sis ab onere.

NB. In prima lectura mensis Februarii si non est annus Bissextus, sequens lectura simul jungitur cum praecedenti sub uno, Tu autem Domine miserere nobis: Si verò est bissextus habebit proprium diem.

24 Febr. 25. Jun. 25. Octob.

Dispositio ordine Psalmodiae diurnae, reliqui omnes Psalmi qui supersunt, aequaliter

dividantur in septem noctium vigiliis, partiendo
scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi:
et duodecim per unamquamque constituantur
noctem. Hoc præcipue commonentes, ut si eis
forte hæc distributio Psalmorum displicuerit
ordinet si melius aliter judicaverit: dum
omnimodis id attendatur, ut omni Hebdomadâ
Psalterium ex integro numero centum quinqua-
ginta Psalmorum psallatur, et Dominico die
semper à capite repetatur ad vigilias quia
nimis iners devotionis suæ servitium ostendunt
Monachi, qui minus Psalterio cum canticis
consuetudinariis per septimanæ circulum
psallunt: dum quando legamus SS. Patres
nostros uno die hoc strenuè implevisse, quod
nos tepidi, utinam septimanâ integrâ persolvamus.

Septimana si sit plana
Semel die Psalterium:
Quod legebant et Psallebant
Per Diei circulum.

Caput XIX.

De disciplinâ psallendi.

Psallite devotè, sapienter psallite fratres
Ut quæ lingua canit mens meditetur ea.

25. Feb. 26. Jun. 26. Octob.

Ubique credimus divinam esse præsentiam
et oculos Domini in omni loco spectari bonos
et malos, maximè tamen hoc sine aliquâ
dubitatione credamus, cum ad opus divinum
assistimus. Ideò semper memores simus,
quod ait Propheta: Servite Domino in timore
et iterum: Psallite sapienter. Et in conspectu
Angelorum psallam tibi: Ergo consideremus
qualiter oporteat nos in conspectu divinitatis et
Angelorum esse. Et sic stemus ad Psallendum,
ut mens nostra concordet voci nostræ.

Quando oras, Deum ponas
Antè cordis aciem:
Times stantem et notantem:
Deum time vindicem.

Caput XX.

De reverentiâ Orationis.

In fletu et planctu, Dominum devotus adora,
Orat Conventus. Sit brevis atque pius.

26. Febr. 27. Jun. 27. Octob.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate et reverentiâ: quantò magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, et puritatis devotione supplicandum est? et non in multiloquio, sed in puritate cordis, et compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideò brevis debet esse et pura Oratio; nisi fortè ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. In conventu tamen omninò brevietur Oratio, et facto signo à Priore, omnes pariter surgant.

Reverenter, et ferventer
Cum tremore servias,
Si terremus terret metus,
Quanta Dei dignitas?

Caput XXI.

De Decanis Monasterii.

Qoscè Decane gregem Deus ut tibi mandat et Abbas
Præposita est similis lex tibi Præposite.

26. Febr. 28. Jun. 26. Octob.

Si major fuerit congregatio eligantur de ipsis fratres boni testimonii, et sanctæ conversationis, et constituantur Decani, qui sollicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus secundum mandata Dei, et præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua: et non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, et sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis aliquâ fortè inflatus superbiâ, repertus fuerit reprehensibilis: correptus semel et iterum, atque tertiò si emendare noluerit, dejiciatur, et alter in loco ejus, qui dignus est, subrogetur, et de Præposito idem constituimus.

Si honorem non laborem
Quæris, frustra niteris:
Si præesse, non prodesse
Studes, nihil efficis.

Caput XXII.

Quomodo dormiant Monachi.

Scilicet indulti mixtim juvenesque senesque,
Ut vigiles templum cum gravitate petant.

27. Febr. 29. Jun. 29. Octob.

Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant. Si autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum seniioribus, qui super eos solliciti sint pauserit. Candela jugiter in eadem cellâ ardeat usque mane. Vestiti dormiant, et cincti cingulis aut funibus: et cultellos ad latus, non habeant dum dormiunt, ne fortè per somnum vulnerentur dormientes: et ut parati sint Monachi semper, et facto signo absque morâ surgentes, festinent se invicem prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestiâ. Adolescentiores fratres juxtâ se non habeant lecta, sed permixti cum seniioribus. Surgentes verò

ad opus Dei, invicem se moderatè cohortentur propter somnolentorum excusationes.

Somnum largum, molle stratum,
Motus pigros respue,
Mentem puram et ferventem
Antè somnum concipe.

Caput XXIII.

De excommunicatione culparum.

Si Monachus ter sit monitus maneatque rebellis
A grege solus agat, corpore sive luat.

26. Febr. 30. Jun. 30 Octob.

Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, et præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundùm Domini nostri præceptum admoneatur semel, et secundò secretò à seniioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit excommunicationi subjaceat. Sin autem improbus

est, vindictæ corporali subdatur.

Va' dicaci contumaci
Contemptori Regulæ:
Fratrum totus hic semotus
Manebit à corpore.

Caput XXIV.

Qualis debet esse modus excommunicationis.

Qualis culpa fuit, talis quoque poena sequatur:
Qui minus excessit: sit quoque poena minor.

1. Martii. 1. Julii. 31. Octob.

Secundum modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Qui culparum modus, in Abbatis pendet judicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis inveniatur, à mensæ participatione privetur. Privari autem à mensæ consortio, ista erit ratio, ut in Oratorio Psalmum aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet usque ad Satisfactionem: Refectionem cibi post fratrum refectionem solus accipiat ut si verbi gratiâ, Fratres reficiant sextâ horâ, ille frater nonâ: Si Fratres nonâ, ille vesperâ usque dum

Satisfactione congruâ veniam consequatur.

Poeniterendum aut arderendum
Reo stat sententia:
Hinc quærenda, et colenda
Claustri poenitentia.

Caput XXV.

De gravioribus culpis.

Peccanti graviter communis mensa negetur,
Pellaturque choro, nec sibi detur ave.

2. Mart. 2. Jul. 1. Novemb.

Is autem Frater, qui gravioris culpæ noxâ tenetur, suspendatur è mensâ simul et ab Oratorio: nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in poenitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: traditum hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus, percipiat mensura, vel hora, quâ presiderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

Detestandum, execrandum
Defecisse Monachum:
Commendandum et laudandum
Profecisse Monachum.

Caput XXVI.

De his, qui sine jussione Abbatis junguntse excommunicatis.

Qui sine mandato junguntse talibus, atque
Excludantur ii, quippè merentur ea.

3. Mart. 3. Jul. 2. Nov.

Si quis Frater præsumpserit sine jussione Abbatis, Fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Perversorum chorus morum
Ut pix atra maculat
Fuge dolum Satharbolum,
Iste ne te opprimat.

Caput XXVII.

Qualiter debeat Abbas esse sollicitus circa excommunicatos.

Ut medicus sapiens infirmis Fratribus Abbas
Adsit, ut afflictos subveniatur ovi.

4. Mart. 4. Jul. 3. Nov.

Omni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes Fratres: quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Et idèo uti debet omni modo, ut sapiens medicus: immittere quasi occultos consolatores sempectas, id est, seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem: et provocent eum ad humilitatis satisfactionem, et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur: sed sicut ait Apostolus, confirmetur in eo charitas, et oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas, et omni sagacitate et industriâ curare, ne aliquem de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: quod crassum videbatis, assumebatis: et quod debile erat, projiciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverit, quærere cujus

infirmati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem.

Abbas summam gerat curam
Fratrum delinquentium:
Se Ductorem et Custorem
Det, non Mercenarium.

Caput XXVIII.

De his qui sæpius correpti non emendaverint.

Casus, et admonitus si non correxerit ille,
Cædat, ne reliquas perderet ente ves.

3. Mart. 5. Jul. 4. Nov.

Si quis frater frequenter correptus fuerit pro quâlibet culpâ, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum vindictâ in eum procedat. Quod si nec ità correxerit, aut forte (: quod absit :) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina divinarum Scripturarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagas

virgarum: et jam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium Fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam Abbas utatur ferro abscissionis, ut ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Si fidelis si discedit, discedat: ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

Patris primam disciplinam
Fili mi ne abjice?
Nimis durum esse exclusum
Coetu, solo, æthere.

Caput XXIX.

Si debeant iterum recipi Fratres Exeuntes de Monasterio.

Culpa qui propria projecti, terque reversi
Si rursus fugiant, ostia clausa manent.

6. Mart. 6. Jul. 5. Nov.

Frater qui proprio vitio egreditur, aut projicitur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem

vitii pro quo egressus est, et sic in ultimo gradu recipietur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio recipiatur. Jam verò posteà sciat omnem sibi reversionis aditum denegari.

Si per pias Dei vias
Constanter ingrederis:
Felix fies inter cives
Gloria dotaberis.

Caput XXX.

De pueris minore ætate, qualiter corripiantur.

Dum pueri excedunt, opus est medicamine poenæ
Jejunent, verbis, verberibusque luant.

7. Mart. 7. Jul. 6. Nov.

Omnis ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras: ideoque quoties pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quarta poena sit excommunicationis: hi tales dum delinquunt aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur ut sanentur.

Primo flore et vigore
Tolle jugum Domini:
Adolescens sit accrescens
Fructum dabit Numini.

Caput XXXI.

De cellerario Monasterii.

Sit sapiens, sobrius, sit honestus, sitque fidelis.
Dum nil quod tribuat, det bona verba, satis est.

6. Mart. 6. Jul. 7. Nov.

Cellerarius Monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus; sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus: sine jussione Abbatis nihil faciat: quæ jubentur custodiat: fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici, quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio,

quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterii, cunctamque substantiam, ac si Altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum: neque avaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut stipator substantiæ Monasterii, sed omnia mensurate faciat: et secundum jussionem Abbatis.

Deum teneus ventrem premens
Præsit cellerarius:
Largus furdat, nec effundat,
Adsit indigentibus.

9. Mart. 9. Jul. 6. Nov.

Humilitatem ante omnia habeat: et cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub curâ suâ: a quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel morâ offerat, ut non scandalizentur: memor divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit

unum de pusillis. Si congregatio major fuerit solatia ei dentur: a quibus adjutus, et ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Moris competentibus deretur quæ danda sunt, et petantur quæ petenda sunt, ut nemo perturbetur, neque contristetur in Domo Dei.

Mitis, lætus, et mansuetus
Fratrum corda attrahet:
Diligenter, et prudenter
Nutum Patris expleat.

Caput XXXII.

De ferramentis vel rebus Monasterii.

Abbas provideat quis committenda suppellex,
Quibene res servent, restituantque sibi.

10 Mart. 10. Jul. 9. Nov.

Substantiæ Monasterii in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus provideat Abbas Fratres, de quorum vitâ et moribus securus sit, et eis singula utilia judicaverit consignet custodienda atque recolligenda ex quibus Abbas brevem teneat: ut dum sibi in ipsa assignata Fratres vicissim succedunt, sciat

quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter res Monasterii tractaverit, corripiatur. Si non emendaverit disciplinæ regulari subjaceat.

Indigenti congruenti
Succurrat substantia,
Hanc non dando nil curando
Tergat pœnitentia.

Caput XXXIII.

Si debeant Monachi aliquid proprium habere.

Nec res, nec corpus, nec mens nec viva voluntas
Propria sit Monacho, aut tartara dira petet.

11. Mart. 11. Jul. 10. Nov.

Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine jussione Abbatis, nec aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò. Quippè quibus nec corpora suæ, nec voluntatem licet habere in propriâ potestate. Omnia verò necessaria à Monasterio sperare nec quicquam liceat

habere quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque sint omnibus communia, ut Scriptum est, nec quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Quod si quisquam hute nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum: si non emendaverit, correptioni subjaceat.

Ananiæ et Saphiræ
Judæ consors criminis.
Regularum propriarum,
Consors erit sceleris.

Caput XXXIV.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

Abbas distribuat justè, ne murmuret ullus;
Debet enim sanctis murmur abesse locis.

12. Mart. 12. Jul. 11. Nov.

Sicut Scriptum est: dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Ubi non dicimus ut personarum, quod absit, acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Ubi quis minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur. qui verò plus indiget, humiletur pro infirmitate,

non extollatur pro misericordiâ: et ità omnia membra erunt in pace. Antè omnia ne murmurationis malum pro quâlicumque causâ in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

Quod si negat, quo se tegat.
Præsul non ob gannias;
Nam domanda et frænanda
Sæpe sensualitas.

Caput XXXV.

De Septimanariis Coquinæ.

Hic nemo excipitur, nisi sint obstacula justa
Obsequium impendant expio amore Dei.

13. Mart. 13. Jul. 12 Nov.

Fratres sic sibi invicem serviant, ut nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causâ gravis utilitatis quis occupatus fuerit: quia inde major merces et charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitiâ hoc faciant, sed,

habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci. Si major congregatio fuerit, cellerarius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur. cæteri verò sibi sub charitate invicem serviant. Egressurus de septimanâ, sabbato mundities faciat. Linteamina cum quibus sibi Fratres manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes verò tam ipse qui egreditur quàm ille qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerii sui, munda et sana egrediens cellerario reconsignet. Qui cellerarius item intranti consignet: ut sciat quid dat, aut quid recipit.

Ex amore, cum decore
Invicem sic serviant.
Servi boni functioni
Ut se prompti ingerant.

14. Mart. 14. Jul. 13. Nov.

Septimanarii autem, ante unam horam refectionis, accipiant super statutam annonam singulos biberes, et panem, ut horâ refectionis sine murmuratione et gravi

Labore, servant Fratribus suis. In diebus autem solemnibus usque ad Missam sustineant. Intrantes et exeuntes hebdomadam, in oratorio mox matutinis finitis Dominicâ, omnium genibus pervolvantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de Septimanâ, dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me et consolatus es me. Quo dicto tertiò accipiat benedictionem egrediens: subsequatur ingrediens, et dicat: Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus: et acceptâ benedictione ingrediatur.

Deus actus, ut est factus
Ortus sit, et exitus:
Istum crucis Diæ lucis
Vigor firmet cælicus.

Caput XXXVI.

De infirmis Fratribus.

Sollicitum infirmi contristant forte ministrum
Hoc patiens superans præmia magna feret.
15. Mart. 15. Jul. 14. Nov.

Infirmorum cura antè omnia, et super

omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ità eis serviatur: quia ipse dicturus est: infirmus fui, et visitasti me. Et: quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed et ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi serviri; et non superfluitate suâ contristent Fratres suos servientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt: quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergò cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputata, et servitor timens Deum, et diligens ac sollicitus. Balnearum usus infirmis, quoties expedit, offeratur: sanis autem, et maximè juvenibus tardius concedatur. Sed et carnium esus infirmis omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Cura autem maxima sit Abbati, ne à cellerariis aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur.

Ægro cura juxta jura
Adhibenda maxima:
Quod in isto, hoete Christo
Præstitisse autumas.

Caput XXXVII.

De Senibus vel Infantibus.

His cum dispensat ratio et natura proinde
Lex districta nimis non teneatur eis.

16. Mart. 16. Jul. 15. Nov.

Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet et infantum; tamen et Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eis pia consideratio, et præveniant Horas Canonicas.

Annus vadit, tempus abit
Mors matura properat:
Talem Statum fac paratum,
Ut te mors inveniat.

Caput XXXVIII.

De Hebdomadario Lectore.

Dum comedunt Fratres, non desit lectio sacra:
Nec, dum Corpus edit, Spiritus esuriat.

17. Mart. 17. Jul. 16 Nov.

Mensis Fratrum Edentium lectio deesse non debet. Nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, sed lecturus totâ hebdomadâ, Dominicâ ingrediatur. Qui ingrediens post Missas et communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus Spiritum elationis. Et dicatur hic versus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Et sic acceptâ benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque silentium fiat ad mensam, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus, sic sibi vicissim ministrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsâ lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio maligno: nisi forte Prior

pro ædificatione voluerit aliquid breviter dicere. Lector autem hebdomadarius accipiat mixtum, prius quam incipiat legere propter communionem sanctam, et ne forte grave sit ei jejunium sustinere: Postea autem cum coquinæ hebdomadariis et servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, sed qui ædificent audientes.

Mentem rore et vigore
Sacra firmet lectio;
Non sit dies quin infiges
Quid in cordis scrinio.

Caput. XXXIX.

De mensurâ ciborum.

Nil labor est major, sat pulmentaria bina,
Nec quærenda nimis corporis ingluvies.

16. Mart. 16. Jul. 17. Nov.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ, quam nonæ, omnibus mensis cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut forte, qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergò duo pulmentaria

cocta Fratribus omnibus sufficiant: Et si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium. Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii et cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars à cellerario reservetur, reddenda cœnaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, ut nunquam subrepat Monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: videte ne graventur corda vestra crapula et ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem servetur quantitas, sed minor, quam majoribus, servata in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles et ægrotos.

O Gulose et ventrose
Corpus imples dapibus:
Super cibis murmuretis?
Non est verè Monachus.

Caput XL.

De mensurâ potûs.

Ex toto nolit quicumque remittere vinum,
Discretâ saltem sobrietate bibat.

19. Mart. 19. Jul. 18. Nov.

Unusquisque proprium habet donum ex Deo alius sic, alius verò sic. Et ideò cum aliquâ scrupulositate à nobis mensura victus aliorum constituitur: Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas, ut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat satietas, aut ebrietas, Licet legamus vinum omninò non esse Monachorum, sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius, quia vinum apostatare facit etiam sapientes.

Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri non possit, sed multò minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, et non murmurent, hoc autem antè omnia admonentes, ut absque murmurationibus sint.

Vinum fuge, hoc ne fuge,
Nam movet stultitiam,
Merum vita, quod in vita
Excitat luxuriam.

Caput XLI.

Quibus horis oporteat reficere Fratres.

Sollicitus cœnas, et prandia temperet Abbas.
Ut latus perogat munera quisque sua.

20. Mart. 20. Jul. 19. Nov.

A Sancto Paschæ usque ad Pentecosten, ad sextam reficiant Fratres: et ad seram cœnent: A Pentecoste autem totâ æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quartâ et sextâ feriâ jejunent usque ad Nonam: reliquis verò diebus ad sextam prandeant. Quæ prandii sexta, si opera in agris

habuerint, aut æstatis fervor nimius fuerit,
continuanda erit, et in Abbatis sit providentia.
Et sic omnia temperet atque disponat, ~
qualiter et animæ salventur, et quod faciunt
Fratres, absque ullâ murmuratione faciant.
Ab Idibus autem Septembris, usque ad Caput
Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant.
In Quadragesimâ verò usque ad Paschæ, ad
vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera
sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant
reficientes, sed luce adhuc diei consumentur.
Sed et omni tempore sive cœnæ, sive refectionis
hora sic temperetur, ut cum luce fiant omnia.

Comedendi, et biberidi
Ne invertas tempora;
Loco, horâ, necnon morâ
Gaudet temperantiâ.

Caput XLII.

Ut post Completorium nemo loquatur.

Postquam completum est taceas, si forti loquendum
Propter honestatem, paucula verba refer.

21. Mart. 21. Jul. 20. Nov.

Omni tempore silentio debent studere ~
Monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et

ideò omni tempore, sivè jejunii, sivè prandii, si
tempus fuerit prandii, mox ut surrexerint à
cœnâ, sedeant omnes in unum et legat unus
collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid
quod ædificet audientes. Non autem Heptateuchum,
aut Regum: quia infirmis intellectibus, non
erit utile illâ horâ hanc scripturam audire,
aliis verò horis legantur. Si autem jejunii
dies fuerit dicta vespera, parvo intervallo,
mox accedant ad lectionem Collationum: ut
diximus, et lectis quatuor aut quinque foliis,
vel quantum hora permittit, omnibus in unum
occurrentibus, per hanc moram lectionis, si
quis fortè in assignato sibi commisso fuerit
occupatus, occurrat. Omnes ergò in unum
positi compleant, et exeuntes à Completorio,
nulla sit licentia deinò cuiquam loqui ~
aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam
hanc prævaricari taciturnitatis Regulam ~
graviori vindictæ subjaceat: excepto si ~
necessitas hospitum supervenerit, aut
fortè Abbas alicui aliquid jusserit. Quod

tamen et ipsum cum summâ gravitate et moderatione honestissimè fiat.

Dum sol cadit, nox invadit,
Loqui linguâ nesciat.
Mente acta, dicta, facta,
Sedulò discutiat.

Caput XLIII.

De his qui ad opus Dei, vel ad mensam tardè occurrunt.

Nil præpone sacris, neque tempus negligemusæ
Dum campana sonat, te Deus ecce vocat.

22. Mart. 22. Jul. 21. Nov.

Ad horam divini officii mox ut auditum fuerit signum relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summâ cum festinatione curratur, cum gravitate tamen ut non scurrilitas inveniat fomitem. Ergò nihil operi Dei præponatur. Quod si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti (: quem propter hoc omninò protrahendo et motè volumus dici:) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsim

constituerit Abbas, ut videatur ab ipso vel ab omnibus, usque dum completo opere Dei publicâ satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in ultimo, aut seorsum judicavimus debere stare, ut visi ab omnibus, vel pro ipsâ verecundiâ suâ emendentur. Nam si foras Oratorium remaneant, erit forte talis qui se aut recolloceat, et dormiat, aut certè sedeat foris, vel fabulis vacet, et detur occasio maligno: sed ingrediatur intus, ut nec totum perdat, et de reliquo emendetur. Divinis autem horis, qui ad opus Dei post versum et gloriam Primi Psalmi, qui post versum dicitur occurrerit, lege quâ superius diximus, in ultimo stet loco: nec præsumat sociari choro psallentium usque ad satisfactionem nisi forte Abbas licentiam dederit permissione suâ: ità tamen, ut satisfaciat reus exhoc.

Piger motu, velox potu,
Inconcinnus moribus,
Chorum spernens, auram cernens
Non est verè Monachus.

23. Mart. 23. Jul. 22. Nov.

Ad mensam autem, qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum et orent, et sub uno semel omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, usque ad secundam vicem propter id corripiatur: Si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensa communis participationem sed sequestratus à consortio Fratrum reficiat solus, sublatâ ei portione suâ vini usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter autem patiatur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Et nequisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam potûs aut cibi sumere. Sed et si cui offertur aliquid à Priore, et accipere renuerit, horâ quâ desideraverit, hoc quod prius recusavit aut aliud omnino nihil accipiat, usque ad emendationem congruam.

Ante sumptum cibum promptum.
Flagret cor suspiriis,
Per examen et vexamen
Mundet cor à vitiis.

Caput XLIV.

De his qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

In terram ante Patres hi prosternantur, et orent, Dum motus præses surgere præcipiat.

24. Mart. 24. Jul. 23. Nov.

Qui pro graviori culpâ ab Oratorio, et à mensâ excommunicatur, horâ quâ opus Dei in Oratorio percelebratur; ante fores Oratorii prostratus jacet, nihil dicens, nisi tantum posito in terram capite prostratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat, usque dum Abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab Abbate venerit, provolvat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium Fratrum vestigiis, ut orent pro eo. Et tunc si jusserit Abbas recipiatur in choro, vel ordine quo Abbas decreverit: Ita plane ut Psalmum aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur

opus Dei, projiciat se in terram in loco in quo stat, et sic satisfaciat, usque dum ei iterum jubeat Abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione. Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum à mensâ, in oratorio satisfaciant, usque ad jussionem Abbatis hoc perficiant, usque dum benedicat, et dicat, Sufficit.

Noxas quales poenas tales
Promerentes deserere;
Est timendum et horrendum,
Tanto trahi scelere.

Caput XLV.

De his qui fallunturin oratorio.

Fallitur in sacris quisquam? citò diluat ille,
Aut alias major mulcta manebit eum.

25. Mart. 25. Jul. 24. Nov.

Si quis dum pronuntiat Psalmum, aut Responsorium, aut Antiphonam, vel lectionem fallitur, nisi per satisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit majori vindictæ subjaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentiâ deliquit. Infantes

autem pro tali culpâ vapulent.

Navos precum, si sint tecum
Detestator Dominus,
Aetu mentis hinc dolentis
Abstergendi citius.

Caput XLVI.

De his qui in levibus rebus delinquunt.

Inque aliis quicunque errat quocunque locorum,
Nil timeat si sit proditor ipse sui.

26. Mart. 26. Jul. 25. Nov.

Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliquâ, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubi, et non veniens continuò ante Abbatem, vel congregationem, ipse ultrò satisfecerit, et prodiderit delictum suum dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa fuerit latens, tantum Abbati aut Spiritualibus seniioribus patefaciat: qui sciant curare sua et aliena

vulnera, non detegere et publicare.

Secus factum, vel quid fractum
Ne priorem lateat:
Nam amorem per candorem
Cordis sibi comparat.

Caput XLVII.

De Significandâ horâ Operis Dei.

Imperio Abbatis Frater vigil excitet omnes,
Debita ne pereat laudibus hora sacris.

27. Mart. 27. Jul. 26. Nov.

Nunciandâ hora operis Dei die noctuque sit sub curâ Abbatis. Aut ipse nunciet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponant: Cantare autem et legere non praesumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, et gravitate, et timore faciat, et cui jusserit Abbas.

Lecto degis, Summi Regis
Quando signum personat:
Vigilare et orare
Christus à te postulat.

Caput XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

Orent sacra legant, vel scribant sive laborent,
Nec malè discurrant, pigritiaque vacent.

28. Mart. 28. Jul. 27. Nov.

Otiositas inimica est animæ. Et ideò certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione divina. Ideòque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari, id est, ut à Pascha usque ad calendas Octobris, manè exeuntes à primâ usque ad horam penè quartam laborent, quod necessarium fuerit: A hora autem quartâ usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes à mensâ, pausent in lectis suis cum omni silentio: aut forte qui voluerit legere, sic sibi legat, ut alium non inquietet. Et agatur nona temperius, mediante octavâ horâ: et iterum quod faciendum est, operentur usque ad Vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia

tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et Patres nostri et Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes.

Stude, ora et labora,
Pari diligentiâ,
Per laborem ad fervorem
Excitatur animæ.

29. Mart. 29. Jul. 28. Nov.

A Calendis autem Octobris usque ad caput Quadragesimæ: usque ad horam secundam plenam lectioni vacent: hora secunda agatur Tertia, et usque ad horam nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ, disjungant se ab opere suo singuli, et sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus à mane usque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis: et usque ad decimam plenam operentur, quod eis injungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliothecâ, quos per ordinem ex integro

legant: qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt.

Quod humano est et sano
Corpori refectio,
Masticata, ruminata
Hoc fit menti lectio.

30. Mart. 30. Jul. 29 Nov.

Ante omnia sanè deputetur unus aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant Fratres lectioni, et videant, ne fortè inveniatur Frater accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, et non est intentus lectioni, et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis, si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel et secundò: si non emendaverit, correptioni regulari subjaceat, et taliter, ut cæteri metum habeant. Neque Frater ad Fratrem jungatur horis incompetentibus. Dominico autem die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si verò ita negligens et desidiosus fuerit ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, injungatur

ei opus quod faciat ut non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia operis opprimantur, et effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

Audiendo, et Legendo
Mentem Semper occupa
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.

Caput XLIX.

De observatione Quadragesimæ.

Semper cum deceat vitam lugere priorem,
Tempore tam sacro convenit hocce magis.

31. Mart. 31. Jul. 30. Nov.

Licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ observationem debeat habere tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, et omnes pariter negligentias aliorum temporum, his diebus sanctis diluere. Quod tunc digna fit, si ab omnibus vitiis temperemus, Orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni

cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum servitutis nostræ, Orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, ut unusquisque supra mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de securitate et cum spiritualis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet. Hoc ipsum tamen, quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat, et cum ejus fiat oratione et voluntate: Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur et vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda sunt.

Anni facta sæpe acta
Sunt plangenda crimina,
Ac majore nunc amore
Excolenda anima.

Caput L.

De Fratribus, qui longè ab Oratorio Laborant aut in viâ sunt.

Fratres absentes, quando est absentia longa
Cum pietate foris solvere pensa queunt.

1. April. 1. Aug. 1. Decemb.

Fratres qui omnino longè sunt in labore, et non possunt occurrere horâ competenti ad Oratorium, et Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ, sed ut possunt, agant sibi et servitutis pensum non negligant reddere:

In labore cum tremore
Horas Deo recita;
Et lassatis membris satis
Celebra præconia.

Caput LI.

De Fratribus qui non longe proficiscuntur.

Nil licitum gustare foris quicumque reverti
Prævalet, aut rediens lugeat ipse domi.

2. April. 2. Aug. 2. Decemb.

Fratres, qui pro quovis responso proficiscuntur, et eo die sperant reverti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omninò à quovis rogentur: nisi fortè ab Abbate suo eis præcipiatur. Quod si aliter fecerint excommunicentur.

Extrà mundas piscis undas
Hoc è cellâ Monachus:
Trahit mundus sed immundas
Hac ne fœdet Spiritus.

Caput LII.

De Oratorio Monasterii.

Nonne quod referunt sint Oratoria, rebus
Laus tibi sola Dei nocte dieque sunto.

3. April. 3. Aug. 3. Decemb.

Oratorium hoc sit, quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum silentio exeant, et agatur reverentia Deo: ut Frater, qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed et si

alter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret et oret, non in clamosâ voce, sed in lacrymis et intentione cordis. Ergò qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in Oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

Res profanæ, simul vanæ
Cedant Oratorio;
Exorari, et rogari
Deus hic vult sedulò.

Caput LIII.

De hospitibus suscipiendis.

Quando peregrinus, vel pauper venerit hospes,
Ut Christus blandè suscipiatur ave.

4. April. 4. Aug. 4. Decemb.

Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, et suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei et peregrinis. Ut ergò nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis: et primitus orent pariter, et sic sibi socientur

in pace: quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissâ, propter illusiones diabolicas. In ipsâ autem salutatione, omnis exhibeatur humilitas, omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terrâ, Christus in iis adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad Orationem: et postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse, legatur coram hospite lex divina, ut ædificetur: et post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium à Priore frangatur propter hospitem; nisi forte præcipuus sit dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det; pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas, quam cuncta congregatio, lavet: quibus lotis hunc versum dicant: Suscepimus, Deus misericordiam tuam in medio templi tui, Pauperum, et Peregrinorum maximè. Susceptio omni curâ sollicitè exhibeatur: quia in ipsis magis Christus

suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Viatores extrà fores,
Christo claudis ostia?
Accedenti da gementi
Charitatis viscera.

5. April. 5. Aug. 5. Decemb.

Coquina Abbatis et hospitum per se sit, ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent Fratres: in quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus, ut indigent, solatio administretur eis, ut absque murmuratione serviant. Et iterum quando occupationem minorem habeant, exeant ubi eis imperatur in opera. Et non solum in ipsis, sed et in omnibus officiis Monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent solatia accommodentur eis, et iterum quando vacant, obediant imperanti. Idem et cellam hospitum habeat assignatam Frater, cujus animam timor Dei possideat, ubi sint lecti strati sufficienter, et Domus Dei à

sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non praecipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obviaverit, aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, et petitâ benedictione, pertranseat dicens: non licere sibi colloqui cum hospite.

Sitienti ac praebenti
Et panem famelico,
Deus donat: et coronat
Sempiterno gaudio.

Caput LIV.

Quod non debeat Monachus litteras seu eulogias accipere.

Non dare resullas, non acceptare licebit,
Abbas ni jubeat, vel benè noviteas.

6. April. 6. Aug. 6. Decemb.

Nullatenus liceat Monacho, neque à parentibus suis, neque à quoquam hominum nec sibi invicem litteras aut eulogias, vel qualibet minuscula accipere aut dare, sine praecepto Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit,

non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate cui illud jubeat dari: et non contristetur Frater, cui forte directum fuerat, ut non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

Angue pejus fuge virus
Litteras ac munera,
Præsumentem illa mentem
Detrahunt ad tartara.

Caput LV.

De Vestiariis et Calcariis Fratrum.

Dum nova traduntur, quævis sine murmure sume.
Abbatique tuo trita priora refer.

7. April. 7. Aug. 7. Decemb.

Vestimenta Fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem est: Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis

per singulos cucullam et tunicam, cucullam in hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam, et scapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules et caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non curent Monachi, sed quales inveniri possunt in Provinciâ quâ habitant aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensurâ provideat. ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus eis, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario: propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes, et propter lavare ipsas res. Jam quod supra fuerit, superfluum est, et amputari debet. Et pedules, et quodcumque est vetustum reddant dum accipiunt novum. Femoralia hi, qui in via dirigunturi, de vestiario accipiant: qui revertentes, lota ibidem restituant. Et cucullæ et tunicæ sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modicè meliores: quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, et

revertentes restituant.

Quo vescaris aut togaris,
Non te cura mordeat;
Amatorem ad tenorem,
Modica res recreat.

6. April. 6. Aug. 6. Decemb.

Stramenta autem lectorum sufficiant, — Matta, sagum, lana et capitale. Quæ tamen lecta, ab Abbate frequenter serutanda sunt propter opus peculiare ne inveniatur: et si cui inventum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, gravissimæ Disciplinæ subjaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, id est cuculla, et tunica, et pedules, et caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis prout cuique opus erat. — Sta ergo et Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem — invidentium. In omnibus tamen judiciis —

suis, Dei retributionem cogitet.

Absint sordes, mundi sordes,
Nitor sit in vestibus,
Ut cordoris, et mœroris
Index sit hic habitus.

Caput LVI.

De mensa Abbatis.

Hospitibus nunquam Prælati mensa vacabit:
Hospes si desit, Frater adesse potest.

9. April. 9. Aug. 9. Decemb.

Mensa Abbatis cum peregrinis et hospitibus sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de Fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores tamen unum aut duos semper cum Fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam.

Sumptuosa aut gulosa
Non sit mensa Præsulis:
Parcis escis ac modestis,
Condiatur ferculis.

Caput LVII.

De artificibus Monasterii.

Quæ norunt facient humiles, verendique fideles,
Longius ast absit crimen avaritiæ.

10. April. 10. Aug. 10. Decemb.

Artifices, si sunt in Monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si tamen jusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eò quòd videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis evellatur ab ipsâ arte, et denuò per eam non transeat: nisi forte humiliato ei iterum Abbas jubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi, per quorum manus tradigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ et Saphyræ, ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monasterii fecerint, in animâ patiantur. In ipsis autem pretiis non subrepat avaritiæ malum: sed semper aliquantulum vilius datur, quam ab aliis sæcularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Artem calles? non excellet
Præsumendo animus;
Commendetur non infletur
De suis laboribus.

Caput LVIII.

De disciplina suscipiendorum Fratrum.

Qui cupit adscribi claustro per dura probandus:
Si patiens perstet, suscipiendus erit.

11. April. 11. Aug. 11. Decemb.

Noviter veniens quis ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus, Probate spiritus, si ex Deo sunt. Ergò si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias, et difficultatem ingressûs post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, et persistere in petitione suâ annuatur ei ingressus, et sit in cellâ hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cellâ Novitiorum, ubi meditetur et manducet, et dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat, et sollicitus sit si verè Deum quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura et aspera, per quæ itur ad Deum: et si promiserit de stabilitate suâ perseverantiam, post duorum

mensium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, et dicatur ei: Ecce lex, sub quâ militare vis, si potes observare, ingredere; si verò non potes, liber discedere. Si adhuc steterit, tunc ducatur in prædictam cellam Novitiorum, et post sex mensium circulum, relegatur ei Regula, ut sciat ad quid ingreditur: et si adhuc stat, post quatuor menses iterum legatur ei hæc eadem Regula. Et si habitâ secum deliberatione promiserit se omnia custodire, et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se sub lege Regulæ constitutum, quod ei ex illâ die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit recusare aut suscipere.

Duriora, viliora
Dati si non expetis;
Monachalem, et Claustralem
Vitam ne eligeris.

12. April. 12. Aug. 12. Decemb.

Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, et

conversione morum suorum, et obedientiâ coram Deo et sanctis ejus, ut si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat quem irridet. De quâ promissione suâ faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum Reliquiæ ibi sunt, et Abbatis præsentis. Quam petitionem manu suâ scribat, aut certè, si non scit literas alter ab eo rogatus scribat, et ille Novitius signum faciat, et manu suâ eam super Altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse Novitius mox hunc versum: Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione meâ. Quem versum omnis Congregatio tertio respondeat, adjungens Gloria Patri: Tunc ille Frater Novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo: et jam ex illâ die in Congregatione reputetur. Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut factâ solemniter donatione conferat Monasterio; nihil sibi reservans ex omnibus quippe qui ex illo die nec proprii corporis

potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, et induatur rebus Monasterii, illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conservanda: ut, si aliquando suadente diabolo consenserit ut egrediatur de Monasterio (: quod absit:) tunc exutus rebus Monasterii, projiciatur. illam tamen petitionem ejus, quam desuper Altare Abbas tulit, non recipiat. sed in Monasterio reservetur.

Paupertatis, castitatis
Et obedientiæ
Triplex nexus non implexus
Vitam confert animæ.

Caput LIX.

De filiis nobilium vel pauperum, Quomodo offerantur.

Lex datur eadem his, dum taxat ditior ille,
Quod vult donabit, pauperiorque nihil.

13. April. 13. Aug. 13. Decemb.

Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori est ætate, parentes ejus faciant petitionem quam supra

diximus, et cum oblatione ipsam petitionem, et manum pueri involvant pallâ altaris, et sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi, vel certe, si hoc facere noluerint, et aliquid offerre voluerint in Eleemosinam monasterio pro mercede suâ; faciat ex rebus quas dare volunt Monasterio donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire posset, (: quod absit:) quod experimento didicimus: similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

Obedire et servire
Optima nobilitas:
Quam si piis firmas viis
Beabit æternitas.

Caput LX.

De Sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare.

Ad Sacrum aspirat Monachismum forte Sacerdos,
Adstrictum Legi se Sciat atque loco.

14. April. 14. Aug. 14. Decemb.

Si quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogaverit non ei citius quidem assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare, et benedicere aut Missas tenere, si tamen Abbas ei jusserit. Sin alias, nullaterus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum et magis humilitatis exempla omnibus det. Et si forte ordinationis aut alicujus rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus in Monasterium, non illum quiei pro reverentiâ Sacerdotii concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio

Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur si tamen ipse promittit de observatione Regulæ vel propriâ stabilitate.

Christi piam Mysta viam
Si ex corde postulat,
Christi normam, vitæ formam
Monachalem subeat.

Caput LXI.

De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.

Hospitibus Monachis qui sunt pietatis amantes,
Mansio dum placeat, non renuatur eis.

15. April. 15. Aug. 15. Decemb.

Si quis Monachus peregrinus de longis quis Provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, et contentus fuerit consuetudine loci, quam invenerit, et non forte superfluitate suâ perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sane rationabiliter, et cum humilitate charitatis reprehendit aut ostendit tractet Abbas prudenter, ne forte ad hoc ipsum

cum Dominus direxit. Si vero: Postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas: et maximè quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci.

Claustrum ornat, Fratres format
Morum compositio,
Nec latere potest verè
Ardens lux sub modio.

16. April. 16. Aug. 16. Decemb.

Quod si superfluus aut vitiosus repertus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterii; verum etiam dicatur ei honestè, ut discedat ne ejus miseriâ etiam alii vicientur: Quod si non fuerit talis, qui mereatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus verum etiam suadeatur ut stet, ut ejus exemplo alii erudiantur: et quia in omni loco uni Domino servitur, uni Regi militatur. Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem Monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus Sacerdotum

vel Clericorum, stabilire potest Abbas in majori quam ingrediantur loco, si eorum talem perspexerit vitam esse. Caveat autem Abbas ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis ejus, aut litteris commendatitiis, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Fax per acta micans facta
Toti claustro luceat,
Disciplinæ et doctrinæ
Splendor ut effulgeat.

Caput LXII.

De Sacerdotibus Monasterii.

De claustri Monachis sacretur Presbyter apius,
Exemplum hic operum spargat ubique bonum.

17. April. 17. Aug. 17. Decemb.

Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caveat elationem aut superbiam, nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari

subditum. Nec occasione sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam, et disciplinam sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum vero semper illum attendat, quo ingressus est monasterium, præter officium altaris; etsi forte electio congregationis, et voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis et Præpositis constitutam servare sciat. Quod si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio judicetur. Et sæpe admonitus: si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendaverit: clarescentibus culpis, projiciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit ejus contumacia, ut subdi, aut obedire Regulæ nolit.

Res non parva, sub tam parvâ
Sisti Deum hostiâ:
Qui hoc præstat, magna præstat
Nitti sanctimoniâ.

Caput LXIII.

De ordine congregationis.

Fratrum primus erit primâ qui venerit horâ
Præveniat juvenis Frater honore senem.

16. April. 18. Aug. 18 Decemb.

Ordines suos in Monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, et vitæ meritum discernit, atque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi liberâ utens potestate, injustè disponat aliquid; sed cogitet semper, quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergò secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum, et in omnibus omninò locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet: quia Samuel et Daniel pueri Presbyteros judicaverunt. Ergò exceptis his, quos, ut diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur, ita sint, ut, verbi gratiâ, qui secundâ horâ diei venerit in Monasterium, juniorem se noverit illius esse, qui primâ horâ venit diei, cujuslibet ætatis aut dignitatis sit.

Senioris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Juniores igitur priores suos honorent: Priores juniores suos diligant.

Sit mensura in clausura
Ordinis concinnitas:
Senis prius, sedes prius
Nec spectatur dignitas.

19. April. 19. Aug. 19. Decemb.

In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare, sed priores juniores suos Fratres nominent, juniores autem priores suos Nonnos vocent: quod intelligitur, paternâ reverentiâ. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur Dominus et Abbas vocetur: non suâ assumptione, sed honore et amore Christi. Ipse autem cogitet, et sic se exhibeat, ut dignus sit tali honore. ubicumque autem sibi obviant Fratres, junior à Priore benedictionem petat: transeunte majore, minor surgat, et det ei locum sedendi: nec præsumat junior considere, nisi ei præcipiat Senior suus; ut fiat quod scriptum est:

Honore invicem prævenientes in Oratorio, vel ad mensas cum disciplinâ, ordines suos consequantur: foris autem vel ubi, custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant.

Seniores, juniores,
Honor, verecundia:
Status lustra ne per lustra
Sed virtute numera.

Caput LXIV.

De ordinando Abbate:

Aptior et melior quisquis, licet ultimus esset,
Hunc sibi præficiant unanimiore Patrem.

20. April. 20. Aug. 20. Decemb.

In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnes concors Congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis sanniori consilio elegerit. Vita autem merito, et sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis

Congregatio vitiis suis (: quod quidem abit :) consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi, ad cujus Diœcesim pertinet locus ipse, vel Abbatibus, aut vicinis Christianis clarverint, prohibeant pravorum prævalere consensum, et domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant, sicut è diverso peccatum, si negligant.

Vis in solâ Christi Schola
Vitiorum vindicem?
Prout voles talem pones
Sanctitatis præducem.

21. April. 21. Aug. 21. Decemb.

Ordinatus autem Abbas, cogitet semper quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatque sibi oportere prodesse magis quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege divinâ, ut sciat et sit unde proferat, nova et vetera; castum, sobrium, misericordem, judicio, ut idem ipse consequatur.

Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsâ autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis: ne, dum nimis cupit eradere aruginem frangatur vas suamque fragilitatem semper suspectus sit: meminerit que calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed prudenter, et cum charitate amputet, prout viderit cuique expedire, sicut jam diximus, et studeat plus amari, quam timeri. Non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non sit zelotypus et nimis suspicious, quia nunquam requiesit. In ipsis imperiis suis sit providus et consideratus: sive secundum Deum, sive secundum sæculum sint. Opera quæ injungit, discernat et temperet, cogitans discretionem Sancti Jacob, dicens: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti uno die, Hæc ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet ut sit, quod et fortes

cupiant, et infirmi non refugiant. Et
praecipuè, ut praesentem Regulam in
omnibus conservet: ut dum benè
ministraverit, audiat à Domino quod servus
bonus, qui erogavit tritticum conservis suis in
tempore suo: Amen dico vobis, ait, super
omnia bona sua constituet eum.

Onus volve et revolve.
Abba cum prudentiâ;
Dei vera non severa
Te premat sententia.

Caput LXV.

De Praeposito Monasterii.

Fratres praeponent? fortasse superbiet, ergò,
Abbas praeponat, contineatque pium.

22. April. 22. Aug. 22. Decemb.

Saepius quidem contingit, ut per Ordinationem
praepositi scandala gravia in Monasterio
oriantur, dum sint aliqui maligno Spiritu
superbiâ inflati, existimantes se secundos
Abbates esse: assumentes sibi tyrannidem,
scandala nutriunt, et dissensiones in

congregatione faciunt, et maximè in illis locis,
ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem
Abbatibus, qui Abbatem ordinant ab ipsis
etiam, et praepositus ordinatur. Quod quam
sit absurdum facile advertitur: quia ab ipso
initio ordinationis, materia ei datur superbiendi,
dum ei suggeritur à cogitationibus suis
exutum eum à potestate Abbatis sui, quia
ab ipsis ordinatus est, à quibus et Abbas.
Hinc suscitantur invidiae, irae, rixae, detractiones,
aemulationes, dissensiones, exordinationes: et
dum contraria sibi Abbas praepositusque
sentiunt, et ipsorum necesse est sub hac
dissensione animas periclitari: et hi qui
sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt
in perditionem. Cujus periculi malum
illos respicit in capite, qui talibus in
ordinatione se fecerunt auctores. Ideòque
nos praevidimus, expedire propter pacis
charitatisque custodiam, in Abbatis pendere
arbitrio ordinationem Monasterii sui: et
si potest fieri, per decanos ordinetur (: ut
antè disposuimus :) omnis utilitas Monasterii,

prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

Sanctitate, probitate
Præses correspondeat.
Ut honore sic amore
Subditos præveniat.

23. April. 23. Aug. 23. Decemb.

Quod si aut locus expedit aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, et Abbas judicaverit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reverentiâ quæ ab Abbate suo ei injuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem et ordinationem faciens, quia quantum Prælatus est cæteris, tantum eum oportet sollicitius observare præcepta Regulæ. Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiâ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater. Si non emendaverit, adhibeatur ei

correptio disciplinæ regularis. Quod si neque sic correxerit tunc dejiciatur de ordine Præpositurâ: et alius qui dignus est, in loco ejus subrogetur. Quod si postea in congregatione quietus et obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus judiciis suis Deo redditurum rationem: ne forte zeli aut invidiæ flamma urat animam.

Sit mansuetus, et discretus,
Obedire gestiens
Patrem juvans, Fratrem curans
Disciplinam ambiens.

Caput LXVI.

De Ostiariis Monasterii.

Custos portarum sit vir sapiens atque senex
Qui dare responsum, quique referre sciat.

24. April. 24. Aug. 24. Decemb.

Ad portam Monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere; cujus maturitas eum non sinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere juxtâ portam, ut venientes semper præsentem inveniant, à quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis

pulsaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias respondeat aut benedicat: et cum omni mansuetudine timoris Dei responsum reddat festinanter cum fervore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, juniorem Fratrem accipiat. Monasterium autem, si potest fieri, ita debet constitui, ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ, intra Monasterium exerceantur; ut non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam volumus sæpius in congregatione legi, ne quis Fratrum se de ignorantia excuset.

Senex gravis, et suavis,
Portæ curam habeat;
Pulsat hospes? mox hic hospes
Bona verba tribuat.

Caput LXVII.

De Fratribus in via directis.

Quando exit remaneatque, datur benedictio Fratri
Nec sibi præsumat visa referre aliis.

25. April. 25. Aug. 25. Decemb.

Dirigendi Fratres in via omnium Fratrum: vel Abbatis se Orationi commendent: et semper ad Orationem ultimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat. Revertentes autem de viâ Fratres, ipso die quo redeunt per omnes Canonicas Horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorii, ab omnibus petant Orationem propter excessus: Ne quid forte surripuerit in via visus aut auditus mala rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam alii referre quæcumque foris Monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subjaceat. Similiter et qui præsumpserit claustra Monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam quamvis parum, sine jussione Abbatis facere.

Si prodire foras ire
Cuncta membra comprimat.
Ut piorum gradus morum
Odor plebem attrahat.

Caput LXVIII.

Si Fratri impossibilia injunguntur.

Submissè excusa, flecti si nesciat Abbas
Perfice fide Deo; nam juvat ille pios.

26. April. 26. Aug. 26. Decemb.

Si cui Fratri aliqua fortè gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientiâ. Quòd si omninò virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter et opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quòd si post suggestionem suam, in suâ sententiâ Prioris imperium perduraverit, sciat junior ità sibi expedire: et ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat.

Non taxetur, nec culpetur
Mandantis imperium:
En confortat Deus portat
Fortem cernens animum.

Caput LXIX.

Ut in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

Alterius alter non audit facta tueri,
Factio nam talis scismata multa parit.

27. April. 27. Aug. 27. Decemb.

Præcaveridum est ne quâvis occasione præsumat alter alterum defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi quâlibet consanguinitatis proquinquitate jungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

Propugnare ne conare,
Licet consanguineum,
Singulare pullulare
Gridè solet scandalum.

Caput LXX.

Ut non præsumat quisquam passim alium cædere.

Nec Frater Fratrem præsumat cædere, quòd si
Tentarit, poenam Patre jubente luat.

28. April. 28. Aug. 28. Decemb.

Ut vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus atque constituimus ut nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant. Infantibus verò usque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia ab omnibus adhibeatur, et custodia sit: Sed et hoc cum omni mensurâ et ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subjaceat: quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri alii ne feceris.

Amor carnis, quæ sunt carnis
Sedulò prosequitur,
Amor Christi, quæ sunt Christi
Sedulò insequitur.

Caput LXXI.

Ut obedientes sint sibi invicem Fratres.

Nunc Fratri Frater festinus obediat, hunc, si
Offendat, placet corpore stratus humi.

29. April. 29. Aug. 29. Decemb.

Obedientia bonum, non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum præmisso ergò Abbatis aut Præpositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus privata imperia præponi: de cætero omnes juniores prioribus suis omni charitate et sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem Frater pro quâvis minimâ causâ ab Abbate, vel à quocunque priore suo corripitur quolibet modo: vel si leviter senserit animum prioris cujuscunque contrà se iratum, vel commotum, quamvis modicè, mox sine morâ tamdiu prostratus in terrâ antè pedes ejus jaceat satisfaciens usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subjaceat aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

Magna vis est, quando lis est
Submittentis animum,
Tam diu jacet, donec placet
Iracundum Spiritum.

Caput LXXII.

De zelo bono, quem debent Monachi habere.

Castus eos jungat zelus, sine felle doloque,
Post Christum digna Præsul honore micet.

30. April. 30. Aug. 30. Decemb.

Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, et ducit ad infernum ita est zelus bonus, qui separat à vitiis et ducit ad Deum, et ad vitam æternam. Hunc ergò zelum ferventissimo amore exerceant Monachi, id est, ut honore se invicem præveniant. Infirmitates suas, sive corporum, sive morum patientissimè tolerent, obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi utiles judicat sequatur: sed quod magis alii, Charitatem fraternitatis casto impendant amore, Deum timeant, Abbatem suum sinceræ et humili Charitate diligant, Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

Malum juvat? non id exsugat
Virus ut aranea:
Bonum juvat? Exsugat
Velut apis sedula.

Caput LXXIII.

De eo, quod non omnis justitiæ observantia in hac sit Regulâ constituta.

Omnem justitiam liber hic non continet, ergò
Biblia perlegito, scripta revolve patrum.

1. Maji. 31. Augusti. 31. Decemb.

Regulam hanc descripsimus, ut eam observantes in Monasteriis, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinæ SS. Patrum, quarum observatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis; Quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ auctoritatis veteris ac novi Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? nec non et collationes Patrum, et instituta, et vita eorum, sed et Regula Sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi bene viventium, et obedientium Monacherum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, et malè viventibus atque

Regula.

negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergò ad patriam coelestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adjuvante Christo perfice: et tunc demum ad majora quæ supra commemoravimus, doctrinæ, virtutumque culmina Deo protegente pervenies. Amen.

Facientibus hæc regna patebunt æterna.

Monachalis his sub alis
Vitæ dantur Symbola:
Vis majoris vim amoris?
Patres tradant media.

Ex Sancto Anselmo.

Non tonsura facit Monachum, non horrida vestis
Sed virtus animi perpetuusque rigor.
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque sobrietas, hæc faciunt Monachum.
Hæc vos in coelum Monachi quadriga vehet.
Hæc post hanc vitam præmia summa dabit.

Index
Capitum Regulæ
S. P. Benedicti Abbatis.

		Pag.
Prologus.		3
Cap. I.	De generibus Monachorum.	11
II.	Qualis debeat esse Abbas.	13
III.	De adhibendis ad consilium Fratribus.	20
IV.	Quæ sint instrumenta bonorum operum	22
V.	De obedientiâ.	27
VI.	De Taciturnitate.	30
VII	De Humilitate.	33
VIII.	De Officiis divinis in noctibus.	44
IX.	Quanti Psalmi dicendi sunt in Noct. horis	45
X	Qualiter æstatis tempore agatur Noct. laus.	46
XI.	Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.	47
XII	Quomodo Matutinorum Solemnitas agatur.	49
XIII.	Qualiter privatis diebus Matutini agantur.	50
XIV.	Qualiter in Natalitiis Ss. agantur vigiliæ.	52
XV.	Quibus temporibus Alleluia dicatur.	53
XVI	Qualiter divina opera per diem agantur.	54
XVII.	Quanti Psalmi per easdem horas canendi sunt.	55
XVIII	Quo ordine Psalmi dicendi sunt.	56
XIX.	De disciplinâ Psallendi.	61
XX.	De reverentiâ Orationis.	62
XXI.	De Decanis Monasterii.	63
XXII.	Quomodo dormiant Monachi.	64

Index.

XXIII. De excommunicatione culparum. 65
XXIV. Qualis debet esse modus excommunicationis. 66
XXV. De gravioribus culpis. 67
XXVI. De his qui sine justione Abbatis jungunt se excommunicatis. " 68
XXVII. Qualiter debeat Abbas esse solicitus circa excommunicatos. " 68
XXVIII. De his qui sæpius correpti non emendaverint. 70
XXIX. Si debeant iterum recipi Fratres exeuntes de Monasterio. " 75
XXX. De pueris minori ætate, qualiter corripiantur. 72
XXXI. De Cellerario Monasterii. 73
XXXII. De ferramentis vel rebus Monasterii. 75
XXXIII. Si debeant Monachi aliquid proprium habere. 76
XXXIV. Si où a qualiter debeant necessaria accipere. 77
XXXV. De septimanariis coquinæ. 78
XXXVI. De infirmis Fratribus. 80
XXXVII. De senibus vel infantibus. 82
XXXVIII. De Hebdomadario lectore. 82
XXXIX. De mensura ciborum. 84
XL. De mensura potus. 86
XLI. Quibus horis oporteat reficere Fratres. 87
XLII. Ut post completorium nemo loquatur. 88
XLIII. De his qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt. " 90

Index.

XLIV. De his qui excommunicantur quomodo satisfaciant. " 93
XLV. De his, qui fallunt in Oratorio. 94
XLVI. De his, qui in aliquibus levibus delinquunt. 95
XLVII. De significandâ horâ operis Dei. 96
XLVIII. De opere manuum quotidiano. 97
XLIX. De observatione Quadragesimæ. 100
L. De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in viâ sunt. " 102
LI. De Fratribus qui non longe proficiscuntur. 102
LII. De Oratorio Monasterii. 103
LIII. De hospitibus suscipiendis. 104
LIV. Quod non debeat Monachus litteras seu eulogias accipere. " 107
LV. De vestiariis et calceariis Fratrum. 108
LVI. De mensâ Abbatis. 111
LVII. De artificibus Monasterii. 111
LVIII. De disciplina suscipiendorum Fratrum 113
LIX. De filiis Nobilium vel pauperum, qui offeruntur. " 116
LX. De sacerdotibus qui forte in Monasterio habitare voluerint. " 118
LXI. De Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur. " 119
LXII. De sacerdotibus Monasterii. 121

Index.

LXIII. De ordine congregationis. 122
LXIV. De ordinando Abbate. 125
LXV. De Præposito Monasterii. 128
LXVI. De ostiariis Monasterii. 131
LXVII. De Fratribus in viâ directis. 132
LXVIII. Si Fratri impossibilia injunguntur. 134
LXIX. Ut in Monasterio non præsumat alter " alterum defendere. 135
LXX. Ut nullus præsumat alium cædere vel " excommunicare. 135
LXXI. Ut obedientes sibi invicem sint Fratres 136
LXXII. De zelo bono, quem debent Monachi " habere. 138
LXXIII. De eo, quod non omnis justitiæ observatio " in hac Sit Regula constituta. 139

Vita
Sancti Patris Nostri
Benedicti Abbatis
A
Sancto Gregorio
Magno Romano Pontifice
conscripta

Ab Exemplari Bonna
Sumptibus Leonardi Rommerskirchen
Impresso
Anno MDCCXXXI.

Excerpta verò et
Descripta

In Abbatiâ Schoenaugiensi
Anno MDCCCI.

Præfatio.

Anicia Sydus Stirpis, quod Nursia mundo
Gignens, virtutum visida norma fuit:
Euupropius genitor fuit, Aburdantia mater:
Nos Româ fugiens deserit, antra petens.

Fuit vir vitæ venerabilis, gratiâ Benedictus et nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens nulli voluptati animam dedit; sed dum in hâc terrâ adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex Provinciâ Nursiæ exortus, Romæ liberalibus litterarum studiis traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abruptæ vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressum mundi posuerat, retraxit pedem; ne, si quid de scientiâ ejus attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque litterarum studiis, relictâ Domo rebusque Patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit. Recessit igitur sciens nesciens

et sapienter indoctus. Hujus ego omnia gesta non didici, sed pauca, quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus, agnovi: Constantino scilicet, reverendissimo valde viro, qui ei in monasterii regimine successit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio, qui Congregationem illius post eum testius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ ejus, in quâ prius conversatus fuerat, præest.

Vita Sancti Benedicti.

Caput I.

De capisterii fracti reparatione.

Ecce capisterium reparat, fugit inde Romanus
Vestit alitque, nolam dæmonis ira ferit.
Presbyter admonitus, Benedictum Paschate quærit,
Juventum reficit nobiliore dape.

Hic itaque cum jam, relictis Litterarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix, quæ hunc arctius amabat, sola secuta est, cumque ad locum venisset, qui dicitur Enfide, multisque honestioribus viris pro caritate se illic detinentibus, in Beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petiit, quod super mensam incautè derelictum casu accidente fractum est, sicut in duabus partibus inveniretur divisum. Quod mox rediens nutrix illius ut ità invenit, vehementissimè flere coepit, quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem Religiosus, et pius puer, cum nutricem suam flere conspiceret, ejus doloris

compassi ablatis secum utrisque fracti capisterii
partibus, sese cum lacrymis in orationem dedit:
qui ab oratione surgens, ità juxtà se vas sanum
reperit, ut in eo invenire fracturæ nulla
vestigia potuissent: moxque nutricem suam
blandè consolatus et sanum capisterium
reddidit quod fractum tulerat. Quæ res in
eodem loco à cunctis est agnitæ, atque in tantâ
admiratione habitâ, ut hoc ipsum capisterium
ejus loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspende
quatenus præsentes et secuturi omnes agnoscent,
à quantâ Benedictus puer conversationis
gratiâ et perfectione cœpisset, quod annis
multis illic antè omnium oculos fuit, etusque
ad hæc longobardorum tempora super fores
Ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus
appetens malà mundi perpeti, quam laudes
ab hominibus quærere, et pro Deo laboribus
fatigari, quam vitæ hujus favoribus extolli,
nutricem suam occultè fugiens, deserti loci
secessum petiit, cui Sublacus vocabulum est,
qui ab Romanâ urbe quadraginta ferè millibus

distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas.
Quæ illic videlicet aquarum abundantia in
extenso prius lacu colligitur, ad extremum
verò in amnem derivatur. Quò dum fugiens
pergeret, Monachus quidam (Romanus nomine)
hunc eundem reperit, quò tenderet requisivit.
Cujus cum desiderium cognovisset, et secretum
tenuit et adjutorium impendit, eique sanctæ
conversationis habitum tradidit et in quantum
licuit, ministravit. Vir autem Dei ad eundem
locum perveniens in arctissimum specum se
tradidit, et tribus annis, excepto Romano
Monacho, hominibus ibi incognitus mansit.
Qui videlicet Romanus non longe in Monasterio
sub Theodati Patris Regulâ degebat.
Sed piè ejusdem Patris sui oculis furabatur
horas, et quem sibi ad manducandum surripere
poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat.
Ad eundem verò specum à Romani cellâ iter
non erat: quia ex cellâ desuper rupes eminebat.
Sed ex eâdem rupe in longissimo fune ligatum
Romanus deponere panem consueverat, in quâ
etiam resti parvum tintinnabulum inserebat,
ut ad ejus sonum vir Dei cognosceret, quando

Romanus sibi panem praeberet, quem exiens
acciperet. Sed antiquus hostis unius caritati
invidens, alterius refectioni, cum quadam die
submitti panem conspiceret, jactavit lapidem,
et tintinnabulum fregit. Romanus tamen
modis congruentibus ministrare non desiit.
Cum verò jam Deus omnipotens, et Romanum
vellet à labore quiescere, et Benedicti vitam
in exemplum hominibus demonstrare, ut
posita suprà candelabrum lucerna clareat,
quatenus omnibus, qui in Domo Dei sunt,
luceret: cuidam Presbytero longius manenti,
qui refectionem sibi in Paschali festivitate
paraverat, per visum. Dominus apparere
dignatus est dicens: Tu tibi delicias praeparas,
et servus meus illo in loco fame cruciatur. —
Qui protinus surrexit, atque in ipsâ solemnitate
paschali cum alimentis, quae sibi paraverat, ad
locum tetendit, et virum Dei per obruptas montium,
per concava vallium, et per defossa terrarum
quaesivit eumque latere in speeu reperit. —
cumque oratione factâ, benedicente Dominum

omnipotentem consedissent post dulcia vitae
colloquia is qui advenerat, Presbyter dixit: Surge,
sumamus cibum, quia hodie Pascha est, quia
hodie videre te merui. Longè quippe ab
hominibus positus, quia eodem die Paschalis
solemnitas esset, ignorabat. Venerabilis autem
Presbyter rursus asseruit, dicens: Paschalis
dies est, abstinere tibi minimè congruit: quia et
ego ad hoc missus sum, ut omnipotentis dona
Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur
Dominum sumpserunt cibum. Expletâ itaque
refectione et colloquio, ad Ecclesiam suam Presbyter
recessit. Eodem quoque tempore hunc in speeu
latitantem etiam pastores invenerunt; quem
dum vestitum pellibus inter frutetta cernerent,
aliquam bestiam esse crediderunt: sed —
cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad
pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt.
Nomen itaque ejus per vicina loca innotuit
circuitis, et factum est, ut ex illo jam tempore
à multis frequentari coepisset, qui cum ei cibum
afferrent corporis, ab ejus ore in suo pectore
alimenta referebant vitâ.

Caput II.

De Tentatione carnis Superata.

Nigra viri quandoque caput circumvolat ales,
Dum fugit, impuro pectus amore flagrat,
In vepres subitò nudatos projicit artus,
Extinxit Cypriae spina cruenta faces.

Quadam verò die dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra, parvaque avis, quae vulgò merula nominatur, circa ejus faciem volitare coepit, ejusque vultus importunè insistere, ità ut manu capi posset, si hanc vir Sanctus tenere voluisset: Sed signo crucis edito, recessit avis. Tanta autem carnis tentatio ave eâdem recedente, secuta est, quantam vir Sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando foeminam viderat, quam malignus Spiritus antè ejus mentis oculos reduxit: tantoque igne servi Dei animum in specie illius accendit, ut dum in ejus pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deserere eremum voluptate victus deliberaret: Tunc subitò superna gratiâ respectus ad semetipsum

reversus est, atque ulticarum et vepribus juxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis et ulticarum incendiis projecit: ibique diu volutans toto ex eis corpore vulneratus exiit, et per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem, cumque bene poenaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium. Eo quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse pertribebat, ità in eo est tentatio voluptatis domita, ut tale aliquid in se minimè sentiret. Coeperunt post modum multi jam mundum relinquere atque ad ejus magisterium festinare: Liber quippe a tentationis vitio, vero jure jam factus est virtutum magister. Unde et per Moysen Num. 6. praecipitur, ut levita à viginti quinque annis et supra ministrare debeant; ab anno verò quinquagesimo custodes vasorum fiant.

Petrus. Jam quidem prolati testimonii mihi aliquantum intellectus interlucet: sed tamen hoc plenius exponi postulo.

Gregorius. Liquet Petre, quod in juventute carnis tentatio ferveat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat: vasa autem sacra, sunt fidelium mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac servire necesse est; et obsequiis laboribusque fatigari. Cum vero jam mentis, ætate tranquillâ, calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt.

Petrus. Fateor placet quod dicis: sed quia prolati testimonii clausa reserasti, quæso, ut de vitâ justi debeas ea quæ sunt inchoata percurrere.

Caput III.

De vitro fracto per signum Crucis.

Oblata à Monachis frangit cruce pocula mortis.
Claustra struens, aliis pandit ad astra viam.

Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis Crucis excolta de virtutum segete feracius fructus dedit: Præconio itaque

eximiæ conversationis celebre nomen ejus habebatur. Non longe autem Monasterium fuit, cujus Congregationis Pater defunctus est, omnisque ex illo congregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit et magnis precibus, ut eis præesse deberet, petiit. Qui diu negando distulit, suis illorumque fratrum moribus se convenire non posse prædixit, sed victus, quandoque precibus, assensum dedit. eumque in eodem Monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullique, ut prius, peractus illicitos in dexteram, levamque partem deflectere à conversationis itinere liceret. Susceptæ fratres insanie sævientes, semetipsos prius accusare coeperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant: quorum scilicet fortitudo in normâ ejus rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent, illicita non licere, et se dolerent assueta relinquere, durumque esset, quod in mente veteri cogitabantur nova meditari, et quia gravis est semper pravis moribus vita bonorum, tractare de ejus morte

conati sunt, qui initio consilio venenum vino miseverunt. Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri, ex More Monasterii ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus Signum Crucis edidit, et vas, quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est ac si in illo vase mortis, pro Cruce lapidem: dedisset. Intellexit protinus vir Dei quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit Signum vitæ: atque illico surgens, vultu placido mente tranquillâ, convocatos Fratres allocutus est dicens: Misereatur vestri Fratres omnipotens Deus, quare in me facere ista voluistis? Nunquid non prius dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minime conveniret? Ite et juxta vestros mores Patrem vobis quærite, quia post hac me habere minime potestis. Tuneque ad Locum dilectæ solitudinis redit, et Solus in Superni Spectatoris oculis habitavit Secum.

Petrus. Minus patenter intelligo, quidnam

sit: habitavit secum.

Gregorius. Si Sanctus vir contra se unanimiter conspirantes, suæque conversationi longè dissimiles, coactos diu sub se tenere voluisset: fortasse sui vigoris usum et modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumque quotidie illorum correptione fatigatus minus cureret sua, et se forsitan relinqueret, et illos non inveniret. Nam quoties per cogitationis motum nimium extrà nos ducimur, et nos sumus, et nobiscum non sumus: quia nosmetipsos minimè videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit: portionem, quam acceperat, consumpsit, uni in eâ civium adhæsit, porcos pavit, quos cum manducare videret siliquas, et has esuriret: tamen eum postmodum coepit cogitare bona, quæ perdidit, Scriptum de illo est. In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? Si igitur secum fuit, unde ad se rediit? Hunc ergo venerabilem virum secum habitare diximus, quia in suâ semper

custodiâ circumspectus, antè oculos conditoris se semper adspiciens, se semper examinans, extrà se meritis suae oculum non divulgavit.

Petrus. Quid ergò, quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab Angelo eductus fuisset: Qui ad se reversus dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis judaeorum.

Gregorius. Duobus modis, Petre, extrà nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos levamur. Ille itaque, qui porcos pavit, vagatione mentis et immunditiae sub semetipsum cecidit. Iste verò, quem Angelus solvit, ejus mentem in ecstasim rapuit, extrà se quidem, sed super semetipsum fuit. Uterque ergò ad se rediit quando et ille ab errore operis se collegit ad cor: et iste à contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi ut prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illâ solitudine habitabat secum, in quantum se intra cogitationis

claustra custodivit: nam quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.

Petrus. Placet quod dicis sed quaeso, responideas, si deserere Fratres debuit, quos semel suscepit.

Gregorius. Ut ego Petre existimo, ibi adunati aequanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur, boni. Nam ubi omninò de bonis fructus deest, sit aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causae suppetant, quae fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque Sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes unanimiter se persequentes cerneret? et sàpè agitur in animo perfectorum (: quod silentio praetereundum non est :) quia cum laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant: Unde ille quoque egregius Praedicator, qui dissolvi cupit, et cum Christo esse, cui vivere Christus est, et mori lucrum, qui passionum certamina non solum

ipse appetiit, sed ad tolerandà hæc et alios accendit, Damasei persecutionem passus, ut posset evadere, murum, funem, sportamque quæsivit, ipque lateribus deponi voluit. Numquid non Paulum mortem dicimus timuisse quàm seipse pro amore Jesu testatus appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, et gravi labore ad laborem se alibi cum fructu servavit. Fortis etenim Pralictor Dei teneri intrà claustra noluit, certaminis campum quæsivit. unde idem quoque venerabilis Benedictus, si libenter audis, citius agnoscis, quia non tantos ipse indociles detaruit, quantos in locis aliis à morte animas suscitavit.

Petrus. Ità esse, ut doces et manifestatis, et prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso, ut de vitâ tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius. Cum sanctus vir diù in eâdem solitudine virtutibus signisque adcresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt servitium congregati, ità ut illic

duodecim Monasteria cum omnipotentis Jesu Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis partibus duodenos Monachos deputavit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in suâ præsentiâ aptius erudiri judicavit. Coepêre etiam tunc ad eum Romanæ urbis Nobiles et Religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ Spei suas soboles Eutichius Maurum, Tertullius verò Patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus junior, cum bonis polleret moribus, Magistri adjutor coepit existere: Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

Caput IV.

De Castigatione Monachi vagi.

Sacrâ ex ade foras seductum à Dæmone Fratrem Invenit, et sanat, virga medesa fuit.

In uno autem ex eis Monasteriis, quæ circumquaque construxerat, quidam Monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox ut se Fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foras, et mente

vagâ terrena aliqua et transitoria agebat. Cumque ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque stultitiam ejus vehementer increpavit, et ad Monasterium reversus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit: Nam die tertiâ ad usum proprium reversus, vagari tempore orationis coepit. Quod cum servo Dei ab eodem Monasterii Patre, quem constituerat, nunciatum fuisset, dixit: Ego venio, eumque per meetipsum emendo. Cumque vir Dei venisset ad idem Monasterium, et constitutâ horâ expletâ Psalmodiâ sese Fratres in orationem dedissent, aspexit quod eundem Monachum, qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem Patri Monasterii, Pompejano nomine et Mauro Dei famulo secretè dixit: Numquid non aspicietis, quis est iste, qui istum Monachum foras traxit? Qui respondentes dixerunt: non. Quibus ait: Oremus, ut vos etiam videatis, quem iste Monachus sequitur, cumque per

biduum esset oratum, Maurus Monachus vidit, Pompejanus verò ejusdem Monasterii Pater videre non potuit. Die igitur alia, expletâ oratione, vir Dei oratorium egressus, standem foris Monachum reperit, quem pro coecitate cordis sui virgâ percussit, qui ex illo die nil persuasionis ulterius à nigro jam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in ejus cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

Caput V.

De fonte in vertice montis viri Dei Oratione producto.

Fratres angit aqua defectus, adire Magistrum
Constituunt, facilem nec mora spondet opem.
Postque preces fusas fons ipse in vertice montis
Exilit, et dulces nunc quoque fundit aquas.

Ex his autem Monasteriis, quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erant: et valde erat Fratribus laboriosum, quod semper ad lacum oportebat descendere, ut aquam

haurire debuissent: maximè quia è devexo montis
latere erat grave descendentibus intimore periculum.
Tunc collecti Fratres ex iisdem tribus Monasteriis
ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes:
Laboriosum nobis est propter aquam quotidie
usque ad lacum descendere, et idcirco necesse est
ex eodem loco Monasteria mutari. Quos blandè
consolans dimisit: et nocte eâdem cum parvulo
puerulo, nomine Placido, cujus superius memoriam
feci, ejusdem montis rupem ascendit, ibique diutius
oravit. Et oratione completâ, tres Petras in
eodem loco pro signo posuit, atque ad suum,
cunctis illis nescientibus, Monasterium rediit.
Cumque die alia ad eum pro necessitate aquæ
Prædicti Fratres rediissent, dixit: Ite et rupem
illam, in quâ tres super invicem positas petras
inveneritis in modicum cavate: valet enim
omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine
aquam producere, ut vobis laborem tanti
itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem
montis, quam Benedictus prædixerat, jam
sudantem invenerunt. Cumque se in eâ concavum
locum fecissent, statim aquâ repletus est: quæ
tam sufficienter emanavit, ut nunc usque ubertim

defluat, atque ab illo montis cacumine usque ad
inferiora diriveturi.

Caput. VI.

De rejunctione ferri cum manubrio.

Falcastrum sorbetur aquis, Benedictus ad ansam
Immissam lacui, sponte redire jubet.

Alio quoque tempore Gothus quidam pauper
spiritu ad conversionem venit, quem Dei vir
Benedictus libentissimè suscepit. Quadam
verò die ei dare ferramentum jussit, quod ad
falcis similitudinem falcastrum vocatur, ut de
loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic
hortus fieri deberet. Locus autem ipse, quem
mundandum Gothus susceperat, super ipsam
lacui ripam jacebat. Cumque Gothus idem
densitatem veprium totius virtutis annisu
succideret, ferrum de manubrio prosiliens in
lacum cecidit: ubi scilicet tanta erat aquarum
profunditas, ut spes requirendi ferramenti
nulla jam esset. Itaque ferro perdito,
tremebundus ad Maurum Monachum cucurrit
Gothus: Damnum quod fecerat, nunciavit, et

reatus sui poenitentiam egit. Quod Maurus
quoque Monachus mox Benedicto famulo Dei
curavit indicari. Vir igitur Domini ~
Benedictus hæc audiens, accessit ad lacum:
fulsit de manu Gothi manubrium, et misit in
lacum, et mox ferrum de profundo rediit, ~
atque in manubrium intravit. Qui statim
ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce
labora, et noli contristari.

Caput. VII.

De ambulatione Mauri super aquam.

Unda rapax Placidum mergit jubaque Magistri
Maurus per medias illicò currit aquas.

Quadam verò die dum idem venerabilis ~
Benedictus in cellâ consisteret, prædictus ~
Placidus puer sancti viri Monachus, ad hauriendam
de lacu aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat,
in aquam incautè submittens, ipse quoque
cadendo secutus est. Quem mox unda rapuit,
et penè ad unius sagittæ cursum eum à terrâ ~
introrsus traxit. Vir autem Dei intrà cellam
positus hoc protinus agnovit et Mauro ~
festinè vocavit dicens: Frater Maure, curre,

quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat,
in lacum cecidit: jamque longius eum unda trahit.
Res mira, et post Petrum Apostolum inusitata.
Benedictione enim postulatâ atque perceptâ,
ad Patris sui imperium concitus perrexit: ~
Maurus itaque usque ad eum locum, quo ab undâ
deducebatur puer, per terram se ire existimans,
super aquam cucurrit eumque per capillos tenens
cursu rapido rediit. Qui mox ut terram
tetigit, ad se reversus, post tergum respexit,
quia super aquas cucurrisset, amovit et quod ~
præsumere non potuisset, ut fieret, miratus
extremuit factum. Reversus itaque ad Patrem,
rem gestam retulit. Vir autem venerabilis ~
Benedictus hoc non suis meritis, sed illius ~
obedientiæ deputare coepit. At è contra ~
Maurus pro solo ejus imperio factum dicebat
seque conscium in illâ virtute non esse, quam
nescius fecisset. In hac itaque mutuâ
humilitatis et amicâ contentione accessit
arbiter puer, qui ereptus: nam dicebat: Ego
cum ex aquâ traherer, super caput meum
melotem Abbatis videbam, atque ipsum me

ex aquâ educere considerabam.

Petrus. Magna sunt valdè, quæ narras, et multorum ædificationi profutura: Ego autem boni viri miracula quò plus bibo, eò plus sitio.

Caput VIII.

De infecto per venenum pane.

Corvus Presbyteri panem abjicit isque puellas
Ad Claustrum mittit, mors detectus ultra fuit.
Cassinum fugiens Benedictus Apollinis aras
Destruit, ac Superis Dæmonis antra Sacrat.

Cùm jam loca eadem in amorem Domini Dei nostri Jesu Christi longè latèque ferviscerent, et sæcularem vitam multi relinquerent, et sub Levi Redemptoris jugo cervicem Cordis ~ edomarent; sicut mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt, vicinæ Ecclesiæ Presbyter Florentius nomine, hujus nostri Subdiaconi Atrus, antiqui hostis malitiâ percutsus, Sancti viri studiis cœpit æmulari, ejusque conversationi derogare, ~ quoque etiam posset ab illius visitatione compescere. Cumque jam se conspiceret ejus ~

profectibus obviare non posse, et conversationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris ipsa quoque opinionis ejus præconio indesinenter vocari, invidiæ facibus magis magisque succensa, deterior fiebat: quia conversationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui ejusdem invidiæ tenebris cœcatus, ad hoc usque perductus est, ut servo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret, quem vir Dei cum gratiarum actione ~ suscepit: sed cum, quæ pestis lateret in pane, non latuit: Ad horam verò refectionis illius ex vicinâ sylvâ corvus venire ~ consueverat, et panem de manu ejus ~ accipere. Qui cum more solito venisset panem, quem Presbyter transmiserat, vir Dei ante corvum projecit, eique ~ præcepit, dicens: In nomine Jesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, et tali eum in loco projice, ubi à nullo hominum possit inveniri. Sunc corvus aperto ore,

expansis alis, circa eundem Patrem coepit discurrere, Crocitare, ac si aperto diceret, et obedire se velle, et tamen jussa implere non posse. Cui vir Domini praecipiebat iterum atque iterum, dicens: Leva, Leva Seaurus, atque ibi projice, ubi invenire non potest. Quem diu demoratus, quandoque corvus momordit, levavit, recessit. Post trium vero horarum spatium objecto pane redit, de manu hominis Dei annonam quam consueverat, accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere sacerdotis animum videns, illi magis, quam sibi doluit. Sed praedictus Florentius, quia Magistri corpus necare non potuit, sed ad extinguendas discipulorum animas accendit, ita ut in horto cellae, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quae coram eis sibi invicem manus ferientes ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod vir Sanctus de cellâ conspiciens, Lapsui quae adhuc tenerioribus

discipulis pertimescens, idque pro sui solius persecutione fieri pertractans, in media locum dedit, atque Oratoria et cuncta quae construxerat substitutis Praepositis, adjunctis Fratribus ordinavit, et paucis secum Monachis ablatis habitationem mutavit loci. Sicque vir Dei ejus odia humiliter declinavit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cum Praedictus Presbyter stans in solatio Benedictum discessisse cognosceret, et exultaret perdurante immobiliter tota Domus fabrica, hoc ipsum tractum in quo stabat, solatium cecidit, et Benedicti hostem conterens extinxit. Quod vir Dei discipulus Maurus nomine, statim Venerabili Patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, aestimavit esse nunciandum dicens: Revertere quia Presbyter, qui te persequebatur, extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in gravibus Lamentationibus dedit; vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus

exultavit. Quâ de re factum est, ut eidem quoque discipulo poenitentiam indiceret, quod mandans talia gaudere de inimici interitu praesumpsisset.

Petrus. Mira sunt, et multum stupenda, quae dicis. Nam in aquâ ex petrâ productâ: Moysen, in ferro verò quod ex profundo aquae rediit, Eliseum; in aquae itinere Petrum, in corvi obedientiâ, etiam in luctuantem mortis inimici. David video: Ut perpendo, vir iste Spiritu justorum omnium plenus fuit.

Gregorius. Vir Dei Benedictus, Petre, unius Dei Spiritum habuit, qui per concessae redemptionis gratiam electorum corda omnium implevit, de quo Joannes dicit: Erat Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Deque versus Scriptum est: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Nam Sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Jonae promittit inimicis: ut coram superbis mori

dignaretur, coram hominibus resurgeret; quatenus et illi viderent quod contemnerent; et isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est ut dum superbi aspicerent despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

Petrus. Quaeso te post hac, ad quae loca vir sanctus migraverit, vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostendit, innotesce.

Gregorius. Sanctus vir ad alia demigrans loca, non hostem mutavit. Nam tanto post graviora praelia pertulit, quantum contra se apertè pugnantem ipsum malitiae magistrum invenitur. Castrum namque quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distensio sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se suberigens, velut ad aeris cacumen tendit. Ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu daemonum luci

succrescerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat. illuc itaque Vir Dei perveniens contrivit idolum, subvertit aram, succendit lucos atque in ipso templo Apollinis, oraculum beati Martini, ubi vere asy ejusdem Apollinis fuit, Oraculum S. Joannis construxit, et commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis, tacitè non ferens, non occultè vel per somnium, sed apertâ visione ejusdem Patris oculis sese ingerebat, et magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ità ut voces illius etiam Fratres audirent, quamvis imaginem minimè cernerent. Ut enim discipulis suis Venerabilis Pater dicebat, corporalibus ejus oculis idem antiquus hostis fœdissimus et succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sævire videbatur. Nam verò quæ diceret, audiebant omnes; prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm Vir Dei minimè responderet, ad ejus mox contumelias

erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte Benedicte: et cum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adjungebat: Ella Benedicte non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed jam nunc spectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis nova certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministravit invitus.

Caput IX.

De ingenti saxo per viri Dei orationem levato.

Ipsum structura conantur tollere saxum,
Sed frustra, immotum, dæmonis arte manet.
Ex templo Benedictus adest, precibusque malignum
Hinc fugat, et illo ac illis mox leve reddit onus

Quadam dies dum Fratres habitacula ejusdem cellæ construerent, lapis in medio jacebat, quem in ædificium levare decreverunt. cumque eum duo vel tres movere non possent, plures adjuncti sunt: sed ità immobilis mansit, ac si radicitus in terrâ teneretur: ut palam daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus

movere non possent. Difficultate igitur facta ad virum Dei missum est, ut veniret, et orando hostem repelleret, ut lapidem levare possent. Qui mox venit, et Orationem faciens, benedictionem dedit: et tanta lapis celeritate levatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

Caput X.

De Phantastico coquinæ incendio.

Sub Saxo invenierat Statuam, injiciuntque culinæ,
Protinus hæc flammas edere visa fuit.
Morque pater precibus pellit prestigia, Fratres
Signate cruce, phanthasma fuisse viderent.

Tunc in conspectu viri Dei placuit, ut in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, aureum illuc idolum Fratres invenerunt. Quo ad horam casu in coquinam projecto, extire ignis repente visus est: atque in cunctorum Monachorum oculis, quasi omne ejusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cumque Faciendo Fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei advenit: Qui eundem ignem in oculis

Fratrum esse, in suis vero non esse considerans, caput protinus in Orationem flexit, et eos, quos phantastico reperit igne deludi, vocavit, Fratres monuit, ut oculos suos signarent, ut et sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, et flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

Caput XI.

De puero contrito a pariete, sanato.

Contritum à muro puerum excitat, atque laborem
Cum reliquis cœptum continuare jubet.

Rursus dum Fratres parietem, quia res ita exigebat, paulo altius erigerent, vir Dei in Orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur, cui antiquus hostis insultans apparuit, et ei, quod ad laborantes Fratres pergeret indicavit. Quod vir Dei per nuncium celerrime Fratribus Fratribus indicavit, dicens: Fratres caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus Spiritus venit. Is qui mandatum detulit vix verba complevrat, et malignus Spiritus eundem parietem qui ædificabatur,

evertit, atque unum puerulum Monachum, cujusdam Curialis filium opprimens, ruinâ contrivit. Contristati omnes ac vehementer afflicti non damno parietis sed contritione Fratris, Venerabili Patri Benedicto celeriter eum gravi luctu nunciarunt. Tunc idem Pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri jubet. quem portare non nisi in sago potuerunt, quia collapsa saxa parietis non solum ejus membra, sed etiam ossa contriverant. Præcepitque vir Dei statim eum in cellâ suâ in Oratorio, quo orare consueverat, projici; missisque foras Fratribus, cellam clausit: qui orationi instantius, quam solebat, incubuit. Mira res? eâdem horâ hunc incolumem, atque ut prius valentem ad eundem iterum laborem misit, ut ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cujus interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

Caput XII.

De Monachis, qui extra cellam comederant.

Emissos cernit Fratres prandere; negantes
Convincit quot sint pocula sumpta refert.

Coepit verò inter ista Vir Dei Prophetiæ etiam Spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit, ut quoties ad responsum aliquod egrederentur Fratres, cibum, potumque extra cellam minime sumerent. Cumque hoc de usu Regulæ sollicitè servaretur, quâdam die ad responsum Fratres egressi sunt, et in eo tardiori compulsi sunt horâ demorari. qui manere juxta religiosam fœminam noverant, cujus ingressi habitaculum sumpserunt cibum. Cumque jam tardius ad cellam redissent, benedictionem Patris ex more petierunt. Quos ille protinus percontatus est, dicens: Ubi comedistis? Qui responderunt: Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentiminì? Numquid illius talis fœminæ habitaculum non intrastis? Numquid hos atque illos cibos non

accepistis? Numquid tot calices bibistis? Cumque
ets venerabilis Pater et hospitium mulieris, et
genera eiborum, et numerum potionum diceret,
recognoscentes cuncta, quae egerant, ad ejus
pedes tremefacti ceciderunt, et se deliquisse
confessi sunt. Ipse autem protinus culpae
poenitentiam praecepit, perpendens quod in
ejus absentiâ ultrà non facerent, quem
praesentem sibi esse in spiritu scirent.

Caput XIII.

De Fratre Valentiniani Monachi quem Vir Dei in viâ comedisse carpsit.

Patrem aliquis jejunus adit, dum hoc negligit, illum
Quod sit deceptus daemonis arte, monet.

Frater quoque Valentiniani ejus Monachi,
cujus superius memoriam feci, vir erat laicus,
sed religiosus, qui ut servi Dei orationem
perciperet, et germanum fratrem videret, annis
singulis de loco suo ad cellam ejus jejunus
venire consueverat. Quadam igitur die, dum
iter ad Monasterium faceret, sese illi alter
viator adjunxit, qui sumendos cibos in itinere

portabat. Cumque jam hora tardior excrevisset,
dixit: veni Frater sumamus eibum ne lassemur
in viâ. Cui ille respondit: Absit Frater, hoc
non faciam; quia ad venerabilem Patrem
Benedictum jejunus semper pervenire
consuevi. Quo responso percepto, ad horam
conviator fecit. Sed cum post aliquantulum
itineris spatium egissent, rursus admonuit,
ut manducarent. Noluit consentire, qui
jejunus pervenire decreverat. Fecit
quidem qui ad manducandum invitaverat,
et cum eo jejunus adhuc peregre modicum
consentit. Cumque iter longius agerent,
et eos tardior hora fatigaret ambulantes,
invenerunt in itinere pratum et fontem, et
quaeque poterant ad reficiendum corpus
delectabilia videri. Tunc conviator ait, ecce
aquam ecce pratum, ecce amoenus locus, in
possumus refici, et quiescere, ut valeamus
iter nostrum postmodum incolumes explere.
Cum igitur et verba auribus, et loca oculis
blandientur, tertiâ admonitione persuasus,
consentit et comedit: vespertinâ verò horâ

pervenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto Patri, sibi orationem petiit: sed mox ei vir sanctus hoc, quod in viâ egerat, improperavit, dicens: Quid est frater, quod malignus hostis, qui tibi ver conviatorem tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, et te ad hoc quod voluit superavit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, ejus pedibus provolutus, tanto magis cœpit culpam deflere et erubescere, quantò se cognovit etiam absentem in Benedicti Patris oculis deliquisse.

Petrus. Ego sancti viri præcordiis Spiritum video inesse, quia absenti discipulo præsens extitit.

Caput XIV.

De simulatione Regis Totilæ deprehensâ

Riggo se Totilam simulat: Benedictus ut tratat, Hunc Regem solis vestibus esse videt.

Gregorius. Oportet, Petre, ut interim silcas, quatenus adhuc majora cognoscas, Gothorum namque temporibus, cum Rex eorum

Totila sanctum virum Prophetiæ habere Spiritum audisset, ad ejus cœnobium pergens paulò longius substitit, eique se venturum esse nunciavit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset ut veniret, ipse, sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei Prophetiæ Spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò ejus Spatarius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumque induit vestibus regalibus fecit, quem quasi in personâ suâ pergere ad Dei hominem præcepit. In cujus obsequio tres, qui sibi præ cæteris adherere consueverant, comites misit, scilicet Vultericum, Ruderiumet Blindinum, ut cuncti servi Dei oculos ipsum regem Totilam esse simulantes, ejus lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi Spatarii præberent, ut tam ex eisdem obsequiis, quam ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus obsequentium frequentiâ comitatus cœnobium fuisset ingressus

Vir Dei eminus sedebat. Quem venientem conspiciens cum jam ab eo audire potuisset, clamavit dicens: Pone fili, pone hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expavit omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terrâ consternati sunt. Surgentes autem ad eum propinquare minimè præsumpserunt. Sed ad suum Regem reversi, nunciarunt Riggidi, in quantâ velocitate fuerant deprehensi.

Caput XV.

De Prophetiâ Regi Totilæ, et canusinæ Ecclesiæ Antistiti factâ.

Prostratum pedibus Totilam levat, increpat acta exprobrat, et breviter cuncta futura docet.

Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit; quem cum longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cum vir Dei bis terve diceret, surge, sed ipse ante eum de terrâ erigere se non

auderet, Benedictus Christi Jesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terrâ levavit, et de suis actibus increpavit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura prænuntiavit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, jam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus novem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis, Rex vehementer territus oratione petitâ recessit atque ab ipso jam tempore minus crudelis fuit: at non multo post Romam adiit, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei Judicio regnum cum vitâ perdidit. Præterea canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ et Romanæ urbis perditione colloquium haberet, dixit, per hunc regem civitas ista

destruetur, ut jam amplius non inhabitetur.
Cui vir Dei respondit: Roma à gentibus
non exterminabitur, sed tempestatibus,
coruscis turbinibus, ac terræ motu fatigata,
in semetipsâ marcescet. Cujus Prophetiæ
mysteria nobis jam facta sunt luce clariora,
qui in hac urbe dissoluta mœnia, eversas
Domos, Destructas Ecclesias turbine cernimus,
ejusque ædificia longo senio lassata, qui
ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus:
quamvis hoc honoratur ejus discipulus, cujus
mihi relatione compertum est, nequaquam
ex ore illius audisse se perhibet; sed quia hoc
dixerit, dictum sibi à Fratribus fuisse testatur.

Caput XVI.

De clerico à dæmone liberato usque ad tempus.

Obsessus stygio multum torquetur ab hoste
Clericus, huic promptam fert Benedictus opem.

Eodem quoque tempore quidam Aquinensis
Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à
venerabili Viro Constantino, ejusdem Ecclesiæ
Antistite per multa fuerat Martyrum loca

transmissus, ut sanari potuisset. Sed sancti
Dei Martyres noluerunt ei sanitatis donum
tribuere, ut quanta esset in Benedicto
gratia, demonstrarent. Ductus itaque
est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum:
qui Jesu Christo Domino preces fundens,
antiquum hostem de obsesso homine
protinus expulit. Cui sanato præcepit
dicens: vade, et Posthac carnem non
comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere
præsumas, quâcumque autem die ad sacrum
ordinem accedere præsumpseris, statim
juri diaboli iterum mancipaberis.
discessit igitur clericus laicus, et sicut
terrere solet animum pœna recens, ea quæ
vir Dei præceperat, interim custodivit.
Cum vero post annos multos omnes priores
illius de hac luce migrassent, et minores
suos sibimet superponi in sacris ordinibus
cerneret, verba Viri Dei quasi ex longo
tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum
ordinem accessit: quem mox is qui reliquerat

diabolus, tenuit eumque vexare quousque animam
ejus exeuteret, non cessavit.

Petrus. Iste vir Dei divinitatis, ut video,
etiam Secreta penetravit: quia perspexit
hunc Clericum idcirco diabolo traditum, ne ad
Sacrum ordinem auderet accedere?

Gregorius. Quare divinitatis Secreta
non nosset, qui divinitatis præcepta servaret
cum Scriptum sit: Qui adhæret Domino, unus
Spiritus est cum eo?

Petrus. Si unus sit cum Domino Spiritus,
qui Domino adhæret, quid est quod iterum idem
Egregius Prædicator dicit: Quis cognovit
Sensum Domini, aut quis consiliarius ejus
fuit? valde enim esset inconveniens videtur
ejus Sensum cum quo unus unum factum fuerit,
ignorare.

Gregorius. Sancti viri, in quantum cum
Deo unum Sunt, Sensum Domini non ignorant.
Nam idem quoque Apostolus dicit: Quis
enim scit hominum quæ hominis Sunt, nisi
Spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et
quæ Dei Sunt nemo cognovit nisi Spiritus

Dei, qui ut se ostenderet nosse, quæ Dei Sunt,
adjunxit: Nos autem non Spiritum hujus mundi
accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. Itme
iterum dicit: Quod oculus non vidit, nec auris
audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ
præparavit Deus diligentibus se, nobis autem
revelavit per Spiritum suum.

Petrus. Si ergo eidem Apostolo ea, quæ Dei
Sunt, per Dei Spiritum Sunt revelata, quomodo
super hoc quod proposuit præmisit, dicens;
O Altitudo divitiarum Sapientiæ et Scientiæ
Dei? quam incomprehensibilia Sunt judicia
ejus, et investigabiles viæ ejus? Sed rursum
mihi hæc dicenti, alia suboritur quæstio.
Nam David Propheta Domino loquitur,
dicens: In labiis meis pronunciavi omnia
judicia oris tui: et cum minus sit nosse,
quam etiam pronuntiare, quid est, quod
Paulus incomprehensibilia esse Dei
judicia asserit: David autem hæc omnia
non solum nosse, sed etiam in labiis
pronuntiasse testatur.

Gregorius. Ad utraque hæc tibi Superius
sub brevitate respondi, dicens, quod Sancti viri,

in quantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui devotè Dominum sequuntur, etiam devotione cum Deo sunt, et adhuc carnis corruptibilis gravati pondere cum Deo non sunt, occultaque Dei judicia, in quantum conjuncti sunt, sciunt: in quantum disjuncti sunt nesciunt: quia enim secreta ejus adhuc perfectè non penetrant incomprehendibilia ejus judicia esse testantur. Qui verò mente ei inhaerant, atque inhaerendo vel sacris scripturae eloquiis, vel occultis revelationibus in quantum accipiant, agnoscunt, et noverunt hæc, et pronunciant. Judicia enim, quæ Deus tacet, nesciunt, quæ Deus loquitur, sciunt. Unde et David Propheta cum dixisset: In labiis meis pronunciavi omnia judicia, protinus addidit, Oris tui; ac si apertè dicat: Illa ego judicia et nosse et pronunciasse potui quæ de te dixisse cognovi. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostra procul dubio cognitione abscondis. Concordat ergò Prophetia Apostolicaque

sententia: quia et incomprehensibilia sunt Dei judicia, et tamen quæ de ore ejus prolata fuerint, humanis labiis pronunciatur, quoniam scire ab hominibus, et prolata prodi possunt, et occultari non possunt.

Petrus. In objectione meae quæstiuncula patuit causa rationis. Sed quæso te, si quæ sunt adhuc de viri hujus virtute subjunges.

Caput XVII.

De Destructione Monasterii viri Dei ab ipso prædictæ.

Orans indulget lachrymis, causamque rogatus.
Cuncta exstructa brevi diripienda refert.

Gregorius. Vir quidam nobilis, Theoprobus nomine, ejusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conversus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quâdam die ejus cellam fuisset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diù subsisteret, ejusdem non finiri lachrymas videret, nec tamen, ut vir Dei consueverat orando —

plangere, sed moerendo, quanam causa tanti luctus existeret, inquisivit. Cui vir Dei illico respondit: omne hoc Monasterium quod construxi, et cuncta quæ Fratribus præparavi omnipotentis Dei judicio gentibus tradita sunt. Vix enim obtinere potui ut mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cujus vocem tunc Theoprobus audivit nos autem cernimus, qui destructum modo à Longobardorum gente gente ejus Monasterium scimus. Nocturno enim tempore, et quiescentibus Fratribus nuper illi Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne unum quidem hominem illic tenere potuerunt, sed implevit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, ut si res gentibus traderet, animas custodiret. quâ in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur accepit.

Caput XVIII.

De abscondione flaconis à B. Benedicto cognitâ.

Abscondum à puero vinum mutatur in anguem: Prædictus ablati, ne bibat inde, vetat.

Quodam quoque tempore exhilaratur noster, quem ipse conversum nôsti, transmissus à Domino suo fuerat, ut Dei viro in Monasterium vino plena duo lignea vasculæ quæ vulgo flascones vocantur, deferret; qui unum detulit alterum vero pergens in itinere abscondit, vir autem Domini, quem facta absentia latere non poterant, unum cum gratiarum actione suscepit, et discedentem puerum monuit, dicens: Vide fili, ne de illo flascone, quem abscondisti, bibas, sed inclina illum cautè, et invenies, quid intus habet. Qui confusus valdè à Dei homine exivit. Et reversus volens adhuc probare quod audierat, cum flasconem inclinasset de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expavit malum quod fecit.

Caput XIX.

De mappularum receptione à viro Dei cognita.

Extra oblata sinu Frater sudaria condit,
Notitia est Patris promere sponte jubet.

Non longè autem a Monasterio vicus erat in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione conversa. Ibi quoque quædam sanctimoniales fœminæ inerant, et crebrò illuc pro exhortandis animabus Fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more, sed is, qui missus fuerat Monachus post admonitionem factam, à sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox ut reversus est, cum vir Dei vehementissimâ amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? at ille obstupuit, et quid egisset oblitus, unde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Numquid ego illic præsens

non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinum misisti? Qui mox ejus vestigiis provolutus, stultè se egisse pœnituit, et eas, quas in sinu abscondérat, mappulas abjecit.

Caput XX.

De cogitatione Monachi superbâ à Dei viro cognitâ.

Ad mensam Monachus lumen gestabat edentis,
Hinc secum tacitus, cui famulabor, ait.
Elatam cernens mentem Benedictus, à illo
Officium transfert, et residere facit.

Quadam quoque die, dum venerabilis Pater vespertinâ jam horâ corporis alimenta perciperet, ejus Monachus cujusdam defensoris filius fuerat, qui ei antè mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernâ ministerio adstaret, cœpit per superbiâ spiritum in mente suâ tacitus volvere et per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo,

servitium impendo? Quis sum ego ut istis serviam? Ad quem vir Dei statim conversus, vehementer coepit eum increpare dicens: Signa cor tuum, Frater, quid est, quod loqueris? Signa cor tuum vocatisque statim Fratribus, praecepit eis lucernam de manibus tolli: ipsum vero jussit à ministerio recedere, et sibi herâ eâdem quietum sedere. Qui requisitus à Fratribus, quid habuerit in corde per ordinem narravit, quanto superbiâ spiritu intumuerat, et quae contrà virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nil posset, in cujus auribus tacitâ etiam cogitationis verba sonuissent.

Caput XXI.

De Ducentis modiis farinae ante viri Dei cellam inventis.

Discipulos ventura fames contristat, at illos
Consolans spondet eias meliora fore;
Nec vanus sermo. ducentos namque farinae
Ante fores modios, mane jacere vident.

Alio quoque tempore in eâdem Campaniae regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat, jamque in Benedicti Monasterio triticum deerat, panes verò perè omnes consumpti fuerant, ut non plus quam quinque, ad refectionis horam Fratribus invenirì potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modestâ increpatione corrigere, et rursum promissione sublevare, dicens: quare de panis inopiâ vester animus contristatur? hodie quidem minus est, sed die crastinâ abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinae modii antè fores cellae in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt jam de abundantiâ nec in egestate dubitare.

Petrus. Dic quaso te: nunquid non credendum est huic Dei famulo semper Prophetiae spiritum

esse potuisse an per intervalla temporum ejus
mentem Prophetiæ Spiritus implebat?

Gregorius. Prophetiæ Spiritus Pectori
Prophetarum mentes non semper irradiat:
quia sicut de sancto Spiritu scriptum est.
Ubi vult spirat: ita sciendum est, quia et quando
vult spirat. Hinc est enim, quod Nathan
à rege requisitus, si construere templum posset,
prius consensit, et postmodum prohibuit.
Hinc est, quod Helisæus cum flentem mulierem
cerneret, causamque nesciisset, ad prohibentem
hanc puerum dicit: dimitte eam, quia anima
ejus in amaritudine est, et Dominus celavit
à me, et non indicavit mihi. Quod
omnipotens Deus ex magna pietatis
dispensatione disponit: quia dum Prophetiæ
Spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit,
prophetantium mentes et elevat in celsitudine,
et custodit in humilitate; et dat accipientes
Spiritum inveniant quid de Deo sint et
rursum prophetiæ Spiritum non habentes
cognoscant quid sint de semetipsis.

Petrus. Ita hoc esse, ut asseris, magna ratio

clamat: sed quæso de venerabili Patre Benedicto,
quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

Caput XXII.

De Dispositione Monasterii per visionem habita.

Emissos Fratres in somnis edocet Abbas,
Quâ ratione Domus cuncta habitacula struant.

Gregorius. Alio quoque tempore à quodam
fideli viro fuerat rogatus, ut in ejus prædio
juxta Taracinensem urbem missis discipulis
suis construere Monasterium debuisset.
Qui roganti consentiens, deputatis Fratribus
Patrem constituit et quis ei secundus esset,
ordinavit. Quibus euntibus spopondit, dicens:
Ite, et die illo ego venio et ostendo vobis in
quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum,
in quo susceptionem hospitum, vel quæque
sint necessaria, ædificare debeatis. Qui
benedictione perceptâ illicò perrexerunt,
et constitutum diem magnopere præstantes,
paraverunt omnia, quæ his qui eum tanto
Patre venire potuissent, videbantur esse

necessaria. Nocte verò eâdem, quâ promissus illuscebat dies, eidem Servo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque ejus Praeposito vir Domini omnis apparuit, et loca singula ubi quid aedificare debuissent, subtiliter designavit, Cùmque utrique à somno surgerent, sibi invicem quod viderant retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, virum Dei sicut se venire promisserat, exspectabant. Cùmque vir Dei constituto die minimè venisset, ad eum cum moerore reversi sunt, dicentes: Exspectavimus, Pater, ut venires, sicut promiseras, et nobis ostenderes, ubi, quid aedificare deberemus, et non venisti. Quibus ipse ait: Quare Fratres, quaeista dicitis? Numquid sicut promisi, non veni? Cui cum ipsi diceret. Quando venisti? respondit: Nunquid utrisque vobis dormientibus non apparui, et loca singula designavi? Ite, et sicut per visionem vidistis, omne habitaculum Monasterii ità construite. Qui hae audientes, vehementer admirati, ad praedictum praedium sunt reversi, et cuncta

habitacula sicut ex revelatione didicerant, construxerunt.

Petrus. Doceri velim, quo fieri ordine potuit, ut longè iret responsum dormientibus dicere quod ipsi per visionem audierant, recognoscerent.

Gregorius. Quid est quod persetulans rei gestae ordinem, ambigis Petre? liquet profectò, quia mobilioris naturae est Spiritus, quam Corpus. Et certè Scripturâ teste novimus, quod Propheta ex Judaea sublevatus, repentè est cum prandio in Chaldaea depositus, quo videlicet Prandio Prophetam refecit, sèque repentè in Judaeâ iterum invenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, et prandium deferre, quid mirum, si Benedictus Pater obtinuit quatenus iter per Spiritum, et Fratrum quiescentium Spiritibus necessaria narraret: ut sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ità

iste ad institutionem spiritualis vitæ spiritualiter pergeret.

Petrus. Manus tua locutionis tersit meæ (: fateor :) dubietatem mentis: sed velim nosse, in communi locutione qualis iste vir fuerit.

Caput XXIII.

De Sanctimonialibus fœminis post mortem absolutis.

Ob maledicta Peterbinas anathemate stringit,
Dat tumulo egressis hostia pace frui.

Gregorius. Vix ipsa, Petre communis ejus locutio à virtutis erat pondere vacua: quia cujus cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid verò unquam non jam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè atque suspensè, sed jam per sententiam protulisset. Nam non longè ab ejus ellonasterio duæ quædam sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ in loco

proprio conversabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ usum præbebat obsequium; sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, nedum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitûs sui freno restrinxerant, et eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui dumdiù ista toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarravit. Vir autem hæc de illis audiens, eis protinus mandavit, dicens: Corrigite linguam vestram, quia si non emendaveritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando, illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies

defuncta sunt, atque in Ecclesia sepulta. Cumque in eadem Ecclesia ejusdem sarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: Si quis non communicat, det locum, nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueverat easde sepulchris suis progredi et exire de Ecclesia videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe se communione privare diverat, nisi mores suos, et verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi moerore indicatum est; qui manu suâ protinus oblationem dedit dicens: Ite et hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, et à Diacono juxtà morem clamatum est, ut non communicantes ab ecclesiâ exirent, illæ exire ab Ecclesiâ ulterius visæ non sunt. Quâ ex re indubitanter patuit, quia dum

inter eos qui communione privati sunt minimè recederent, communionem à Domino per servum Domini recepissent.

Petrus. Mirum valdè, quod dicis, quamvis venerabilem et sanctissimum virum, adhuc tamen in hâc carne corruptibili degentem potuisse animas solvere in illo jam invisibili judicio constitutus.

Gregorius. Num quidnam, Petre, in hâc adhuc carne non erat, qui audiebat: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, et in cœlis; et quæ solveris super terram, soluta erunt et in cœlis? Cujus nunc vicem ligando et solvendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus ferent. Sed ut tanta valeat homo de terra, cœli et terræ conditor in terram venit è cœlo: atque ut judicare caro etiam de spiritibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro; quia inde surrexit ultrà se infirmitas nostra, unde sub se infinita est firmitas Dei.

Petrus. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

Caput XXIV.

De puero post sepulturam à terrâ projecto.

Clam puer ad matrem fugiens, expirat, humatus
Ejicitur, terra hunc Patre juvante tenet.

Gregorius. Quâdam quoque die dum quidam ejus puerulus Monachus parentes suos, ultrà quam debebat diligens, atque ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de Monasterii exiisset, eodem die mox ut ad eos pervenit, defunctus est. Cùmque esset sepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum est, quod rursùs tradere sepulturæ curaverunt. Sed sequenti die iterùm projectum exterius atque inhumatum, sicut prius, invenerunt. Tunc concitè ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu suâ protinus communionem Dominici Corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum Corpus super pectus ejus cum

magnâ reverentiâ ponite, et sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultrà projecit. Perpendis Petre, apud Jesum Christum Dominum cujus meriti iste vir fuerit ut ejus corpus etiam terra projecerit, qui Benedicti gratiam non haberet.

Petrus. Perpendo planè, et vehementer stupeo.

Caput XXV.

De Monacho, qui de Monasterio Discedens Draconem in itinere invenit.

Ad Sacrum remeans quidam occurrente dracone
Ante fores claustri, territus ultrò redit.

Gregorius. Quidam autem ejus Monachus mobilitati mentis deditus erat, et permanere in Monasterio nolebat. Cùmque eum vir Dei assidùè corriperet, et frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in congregatione perdistere, atque importunis precibus, ut relaxaretur, innueret: quâdam die idem venerabilis Pater, nimietatis ejus, tædio affectus, iratus jussit ut discederet. Qui

mox ut Monasterium exiit, contra se astitere aperto ore Draconem in itinere invenit. Cumque eum idem Draco, qui apparuerat, devorare vellet, coepit ipse tremens et palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, succurrite, quia Draco iste me devorare vult. Currentes autem fratres, Draconem minimè viderunt, sed trementem atque palpitantem Monachum ad Monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquam se esse à Monasterio recessurum, atque ex horâ eâdem in suâ promissione permansit. Quippè qui sancti viri orationibus contra se astitere Draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

Caput XXVI.

De puero ab elephantico morbo curato.

Infantis latetos Elephas confecerat artus:
Cui solitâ medicas exhibet arte manus.

Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognovi, qui ajebat Patris sui puerum morbo Elephantino fuisse

correptum, ità ut jam pilis cadentibus cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset: Qui ad virum Dei ab eodem Patre ejus missus est et saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

Caput XXVII.

De solidis per miraculum Presbytero redditis.

Vix Patrem lugens alieno ædit are gravatus,
Cassitus obtento munere onustus obit:
Quidam mortifero vitam prope clauserat haustu
Ni Patris optatam dextra fulisset opem.

Neque illud taceam, quod ejus discipulus Peregrinus nomine narrare consueverat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, unum fore sibi remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, et quæ eum urgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad Monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à Creditore suo pro duodecim solidis graviter affligeretur, intimavit. Cui venerabilis Pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit: sed tamen ejus inopiam blanda locutione

consolatus ait: vade et post triduum revertere: quia deest hodie quod tibi debeam dare. In illo autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur, redire et super aream Monasterii, quae erat frumento plena, subito tredecim solidi sunt inventi. Quos vir Dei deferri jussit, et afflito petitori tribuit, dicens, ut duodecim redderet, et unum in expensis propriis haberet. Sed ad ea nunc redeam, quae ejus discipulus, in libri hujus exordio praedictis referentibus agnovi. Quidam vir gravissima adversari sui aemulatione laborabat, cujus ad hoc usque odium prorupit, ut ei nescienti in potu venenum daret. Quod quamvis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutavit, ita ut diffusa in corpore ejus varietas, lepra morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citius recepit: nam mox ut eum tetigit, omnem cutis istius varietatem fugavit.

Caput XXVIII.

De Ampullâ vitreâ in Saxis projectâ et non fractâ.

Vas olei vitreum se praecipiente petenti,
Necdum collatum, in proxima saxa jacit
Sed manet illa sum, mox ferri mandat egeno
Agapito, nam illi jusserat ante dari.

Eo quoque tempore alimentorum inopia Campaniam gravitor affligebat, vir Dei diversis indigentibus Monasterii sui cuncta tribuerat, ut penè nihil in cellario, nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tum quidam Subdiaconus Agapitus nomine advenit, magnopere postulans, ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in coelo omnia reservaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, jussit petenti dari. Monachus verò qui cellarium tenebat, audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululum, si id quod jusserat, datum esset

inquireret, respondit Monachus se minime
dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò
nihil fratribus remaneret. Tunc iratus, aliis
præcepit, ut hoc ipsum vas vitreum, in quo
parum olei remansisse videbatur, per fenestram
projicerent, ne in cellâ aliquid per
inobedientiam remaneret. Factumque est,
sub fenestrâ autem eâdem ingens præcipitium
patebat saxorum molibus asperum.
projectum itaque vas vitreum venit in saxis,
sed sic mansit incolume, ac si projectum
minimè fuisset: ita ut neque frangi, neque
oleum effundi potuisset. Quod Vir Domini
præcepit levari, atque ut erat integrum,
petenti tribui. Tunc Fratribus collectis
inobedientem Monachum de infidelitate
suâ et superbiâ coram omnibus increpavit.

Caput XXIX.

De Dolio vacuo, oleo impleto.

Sedulus exorat Dominum vacuumque replebat
Vas oleo, hæc lachrymis vis precibusque fuit.

Quâ increpatione completâ, sese cum eisdem

fratribus in orationem dedit, in eo autem loco,
ubi cum Fratribus orabat, vacuum erat ab oleo
dolium, et coopertum. Cumque Sanctus vir
in oratione perstisteret, coepit operimentum
ejusdem dolii oleo exerescente, sublevari.
Quo commoto atque sublevato, oleum quod
exerescebat ora dolii transiens, pavimentum
loci in quo incubuerat, inundabat. Quod
Benedictus Dei famulus ut aspexit, protinus
orationem complevit, atque in pavimentum
oleum defluere cessavit. Tunc diffidentem
inobedientemque fratrem latius admonuit,
ut fidem habere disceret et humilitatem.
Idem verò frater salubriter correptus erubuit,
quia Venerabilis Pater virtutem omnipotentis
Dei, quam admonitione instimaverat, miraculis
ostendebat: nec erat jam, ut quisque de
ejus promissionibus dubitare posset: qui in uno
eodemque momento pro vitreo vase penè
vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

Caput XXX.

De Monacho à Dæmone Liberato.

Antiquus Monachum non cautum invaserat hostis,
Quem Patris inflicto verbere dextra fugat.

Quadam die dum ad beati Joannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obviam factus est, cornu et tripedicam ferens. Quem cum requisset dicens: Quo vadis? ille respondit: Ecce ad fratres vado potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis Pater Benedictus ad orationem, quâ completâ concitus redit. Malignus verò spiritus unum seniorem Monachum invenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumque in terram projecit, et vehementissimè vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, et malignum ab eo spiritum protinus excussit, ità ut ad eum redire ulterius non auderet.

Petrus. velim nôsse, si hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

Gregorius. Qui devotâ mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo utroque solent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate, cum enim Joannes dicat: quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri; qui filii Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? quia enim utroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitam mortuam, orando suscitavit. Ananiam verò et Sapphiram mentientes morti increpando tradidit: Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetraverant, increpasse. Constat ergò, quod aliquando hæc ex potestate aliquando verò exhibentur ex postulatione dum et isti vitam increpando abstulit, et illi reddidit orando. Nam Duo quoque

fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc in quibus
aperte clareat, aliud hunc accepta divinitus ex
potestate, aliud ex oratione potuisse.

Caput XXXI.

Deligato rustico solo aspectu viri Dei Soluto.

Duxerat ad clausurum constrictum Galla colonum
fratrisque Patris vincla soluta cadunt.

Gothorum quidam Galla nomine, perfidiae
fuit Ariana, qui Totila regis eorum temporibus
contra catholicae ecclesiae religiosos viros
ardore immanissimae crudelitatis exarsit, ita
ut quisquis ei clericus Monachusque ante
faciem venisset, ab ejus manibus vivus nullo
modo exiret. Quadam vero die avaritiae
suae aestu succensus, in rapinam rerum inhians,
dum quendam rusticum tormentis crudelibus
affligeret, eumque per supplicia diversa
laniaret, victus poenis rusticus, sese res
suas Benedicto Dei famulo commendasse
professus est, ut dum hoc a torquente

crederetur, suspensa interim crudelitate, ad
vitam hora repararetur. Tunc idem Galla
cessavit rusticum tormentis affligere sed
ejus brachia loris fortibus astringens, ante
equum suum coepit impellere, ut quis esset
Benedictus qui ejus res susceperat, ei
demonstraret. Quem ligatis brachiis
rusticus antecedens duxit ad sancti viri
Monasterium, eumque ante ingressum cellae
solum sedentem reperit et legentem. Idem
autem subsequenti et saevienti Galla rusticus
dixit: Ecce iste est, de quo dixerom tibi,
Benedictus Pater. Quem dum fervido
spiritu cum perversae mentis insania
fuisset intuitus, eo terrore, quo consueverat
actutum se existimans, magnis coepit vocibus
clamare dicens: Surge, surge, et res istius
rustici redde, quas accepisti: ad cujus
vocem viri Dei protinus oculos levavit a
lectione, eumque intuitus, moxetiam
rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit.
Ad cujus brachia dum oculos deflexisset,

miro modo tantâ se celeritate coeperunt illigata
brachiis lora devolvere, ut dissolvitam concite
nullâ hominum festinatione potuissent.
cumque is qui ligatus venerat, coepisset
subitò adstare solutus; ad tantæ potestatis
vim tremefactus Galla ad terram corruit,
et cervicem crudelitatis rigidæ ad ejus vestigia
inclinans, se orationibus illius commendavit.
vir autem sanctus à lectione minimè
surrexit: sed vocatis fratribus, eum
introrsus tolli, ut benedictionem acciperet,
præcepit. Quem ad se reductum ut à tantæ
crudelitatis insaniâ quiescere deberet admonuit.
Qui fractus recedens, nil ulterius præterea
rustico præsumpsit, quem vir Domini non
tangendo, sed recipiendo solverat. Ecce est,
Petre, quod dixi, quia hi qui omnipotenti
Deo familiarius serviunt, aliquando mira
facere etiam ex potestate possunt. Qui
enim ferocitatem Gothi, terribilis sedens
repressit, lora verò nodosque ligaturæ quæ
innocentis brachia adstrinxerant oculis

dissolvitur ipsâ miraculi celeritate indicat,
quia ex potestate acceperat habere quod fecit.
Rursum quoque quale quantumque miraculum
orando valuit obtinere, subjungam.

Caput XXXII.

De mortuo suscitato.

Mortuus ad Patrem fertur precibusque perachis
Et extinctum corpus reddita vita movet.

Quadam die cum fratribus ad agri opera
fuerat egressus, quidam verò rusticus defuncti
filii corpus in ulnis ferens, orbitatis luctu
æstuans, ad cœnobium venit, Benedictum
Patrem quæsivit. Cui cum dictum esset, quia
idem Pater cum fratribus in agro moraretur,
non protinus orantè cœnobii januam
corpus extincti filii projecit, et dolore turbatus,
ad inveniendum venerabilem Patrem sese
in cursum concitus dedit. Eadem verò horâ
vir Dei ab agri opera jam cum fratribus
revertebatur. Quem mox ut turbatus
rusticus adspexit, clamare coepit: Redde
filium meum, redde filium meum. Vir-

autem Dei in hac voce substitit dicens: Nunquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est, veni, resuscita eum: Quod ut mox Dei famulus audivit, valde contristatus est, dicens: Recedite Fratres recedite: hæc nostra non sunt, sed Sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in suâ petitione perstitit jurans, quod non recederet, nisi ejus filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisivit, dicens: ubi est? cui ille respondit: Ecce corpus ejus ad januam Monasterii jacet. Ubi cum vir Dei cum fratribus pervenisset, flexit genu, et super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens, ad cœlum palmas tetendit, dicens: Domine non aspicias peccata mea, sed fidem hujus hominis, qui resuscitari filium suum rogat, et redde in hoc corpusculum animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleverat, et regrediente animâ, ità corpusculum pueri omne contremuit,

et sub oculis omnium, qui aderant, apparuit concussione mirificâ tremendo palpitasse: Cujus mox manum tenuit et eum Patri viventem atque incolumem dedit. Liquet Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petiit exhibere potuisset.

Petrus. Sic cuncta esse ut asseris, constat patenter: quia verba, quæ proposuerat rebus probas. Sed quæso te, ut indices, si sancti viri omnia quæ volunt, possunt et cuncta impetrant quæ desiderant, obtinere.

Caput XXXIII.

De miraculo Scholasticæ Sororis ejus.

Ut secum maneat Soror obsecrat, hoc renuentem
Obtenta pluvia cœlitus ire vetat.

Gregorius. Quisnam erit Petre, in hac vitâ Paulo sublimior, quæ de carnis suæ stimulo ter Dominum rogavit, et tamen quod voluit obtinere non valuit? Ex quâ re necesse est, ut tibi, de venerabili Patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam quod voluit, sed

non voluit implere. Soror namque ejus Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eam semel per annum venire consueverat. Ad quam Vir Dei non longè extrà januam in possessione Monasterii descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit Frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis dicentes, incumbentes jam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis fœmina soror ejus eum rogavit dicens: Quæso te, ut istâ nocte me non deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: quid est, quod loqueris Soror? egredere extrà cellam nullatenus possum. Tanta verò erat cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cum verba Fratris negantis audisset, intertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem

Dominum rogatura declinavit. Cumque de mensa levaret caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque Fratres, qui cum eo aderant extrà loci limen, quo consederant, pedem movere potuissent. Sanctimonialis quippè fœmina caput in manibus declinans, lachrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est; sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensâ caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum tœmque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos et tonitruos atque ingentis pluviæ inundantionem videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens: Misereat tibi omnipotens Deus Soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogavi, et audire me noluisti: Rogavi Deum meum, et audivit

me. Modò ergò, si potes, egredere et me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extrà tectum non valens, qui remanere sponte noluit, in loco mansit invitus: sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitæ colloquia sese vicariâ relatione satiarent. Quâ de re Dixi eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est quin eandem heremitatem voluerit, in quâ descenderat, permanere, sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum invenit. Nec mirum quod plus illo fœmina, quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore voluit. Quia enim juxta joannis vocem, Deus Charitas est, justo valde judicio illa plus potuit quæ amplius amavit.

Petrus. Fateor, multum placet quod dicis.

Caput XXXIV.

De animâ sororis ejus visâ.

In cœlos animam vidit penetrare sororis
Ast corpus tumulo condidit ipse suo.

Gregorius. Cùmque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset vir Dei ad Monasterium redit. Cùm ecce post triduum in cellâ consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de ejus corpore egressam in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantâ ejus gloriâ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denunciavit. quos etiam protinùs misit, ut ejus corpus ad ejus Monasterium deferrent, atque in sepulcro quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepulturâ separaret.

Caput XXXV.

De Mundo antè oculos ejus collecto et De animâ Germani Capuanæ civitatis Episcopi.

Mundum sub radio collectum conspicit uno
Germanique animam cernit ad astra vehi.

Alio quoque tempore servandu Diaconus atque Abbas ejus Monasterii, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratiâ ex more venire consueverat. Ejus quippe Monasterium frequentabat, ut quia idem quoque vir doctrinæ gratiæ coelestis influebat, dulcia sibi invicem vitæ verba transfuderent, et suavem cibum caelestis Patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora jam quietis exigeret, ut se sopori dare debuisset, turris erat eodem in loco constituta, quæ super totius cellæ habitaculum eminebat, in cujus turris superioribus se venerabilis Benedictus, in ejus quoque inferioribus se Servandus

Diaconus collocavit: quod videlicet in loca inferiora ad superiora pervius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo utrusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc Fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis tempore prævenisset, ad fenestram stans, et omnipotentem Deum deprecans, subitò intempesta noctis horâ respiciens vidit fusam Lucem, desuper cunctas noctis tenebras effugisse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est: quia, sicut ipse post narravit, omnis enim mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est. Qui Venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ Lucis infigere, vidit Germani Capuani

Episcopi animam in sphaerâ ignea ab angelis in coelum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, servandum Diaconum iterato bis terque ejus nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit respexit, partemque jam lacis exiguam vidit. Cui autem hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem, quae fuerant gesta narravit. Statimque in Casinum Castrum religioso viro Theoprobo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eâdem nocte transmitteret, et quid e Germano Episcopo ageretur, agnosceret et indicaret. Factumque est: et Reverendissimum virum Germanum Episcopum is, qui missus fuerat, jam defunctum reperit, et requirens subtiliter, agnovit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini ejus cognovis ascendum.

Petrus. Mira res valde, et vehementer stupenda. Sed hoc, quod dictum est, quia

ante oculos ipsius, quasi sub uno solis radio collectus, omnis mundus adductus est, sicut nunquam expertus sum, ita nec conjicere scio, quomam ordine fieri potest, ut mundus omnis ab homine uno videatur.

Gregorius. Fixum tene, Petre, quod loquor: quia animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne, quod creatum est: quia ipse luce visionis intimae mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo. Fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur super se in interioribus ampliatur, et dum se sub se conspicit, exaltata comprehendit, quam breve sit quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum igneum, Angelos quoque ad coelum redeuntes videbat, haec procul dubio cernere non nisi in Dei Lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum

vidit, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit? quod autem collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non cælum et terra conjuncta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illâ ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit.

Petrus. Videor mihi inutiliter non intellexisse quæ dixeras, quando ex tarditate meâ tantum crevit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso, ut ad narrationis ordinem redeas.

Caput XXXVI.

Quod Regulam Monachorum scripsit.

Non solum Benedictus erat, verum et benedictus
Istud tam celebris Regula scripta docet.

Gregorius. Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare, sed quædam

studiosè prætereo, quia ad aliorum gesta volvenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit doctrinâ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eâdem institutione Regulæ omnes Magistri illius actus invenire, quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

Caput XXXVII.

De Prophetica Sui exitus Fratribus annunciatione.

Fratribus instantem mortis prænunciat horam,
Inter et orantes Regna Superna petit.

Eodem verò anno, quo de hâc vitâ erat exiturus, quibusdam longè manentibus Sanctissimi Sui obitûs denunciavit diem: præsentibus indicens, ut audito per silentium tegerent: absentibus indicans, quod, velquales

eis signum fieret, quando ejus anima de corpore
exiret. Ante sextum verò sui exitus diem
aperiri sibi sepulturam jubet. Qui mox
correptus febribus, acri coepit ardore fatigari.
Cùmque per singulos dies languor ingravesceret
sextâ die portari se in oratorium à discipulis
fecit, ibique exitum suum Dominici corporis
et sanguinis perceptione munivit atque inter
discipulorum manus imbecilla membra sustentans,
erectis in coelum manibus stetit, et ultimum
spiritum inter verba orationis efflavit. quâ
scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cellâ
commoranti, alteri autem longius posito,
revelatio unius atque indistimilis visionis
apparuit. Viderunt namque, quia strata
pallijs atque innumeris coruscа lampadibus
via recto Orientis tramite ab ejus cellâ in
coelum usque tendebatur. Cui veneranda
habitu vir desuper clarus assistens, cujus
esset via quam cernerent inquisivit. Illi
autem se nescire professi sunt. Quibus
ipse ait: Hæc est via, quâ dilectus Domino
Coelum Benedictus ascendit. Tunc itaque

sancti viri obitum sicut præsentes discipuli
viderunt ità absentes ex signo, quod eis
prædictum fuerat, agnoverunt. Sepultus
verò est in Oratorio Beati Joannis Baptistæ,
quod destructâ aræ Apollinis ipse
construxit. Qui et in eo specu, in quo
prius habitavit nunc usque, si petentium
fides exigat, micaculis coruscat.

Caput XXXVIII.

De insanâ muliere in ejus specu sanata.

Mente carens mulier Benedicti dormit in antro
Hinc egressa domum jam bene sana redit.

Nuper namque res est gesta, quam narro.
Quædam mulier mente capta, dum sensum
funditus perdidisset, per montes et valles,
silvas et campos diu noctuque vagabatur:
ibi tantummodò quiescebat, ubi hanc quiescere
lassitudo coegisset. Quâdam verò die dum
vaga nimium erraret, ad Beati viri Benedicti
specum devenit, ibique nesciens ingressa
mansit. Mane autem facto ità sanato
sensu egressa est, ac si eam nunquam insania

capitis ulla tenuisset: quæ omni vita sua tempore in eadem quam accepit salute permansit.

Petrus. Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoque Patrociniis Martyrum sic esse sentimus, ut non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic majora signa faciunt, ubi minime per semetipsos jacent?

Gregorius. Ubi in suis corporibus sancti Martyres jacent, dubium, Petre, non est quo multa valeant signa demonstrare. Sicut et faciunt, et puræ mentes quærentibus innumera miracula ostendant. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrum ne ad credendum ibi præsentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sunt, ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto majus habet fidei meritum, quanto

illic eos novit et non jacere corpore, et tamen non d ab exauditione. Unde ipsa quoque veritas ut Fidem Discipulis augeret, dixit: Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat qui a Filio nunquam recedit. Sed quia Discipuli Dominum in carne cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, recte eis dicitur: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet. Ac si aperte diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor Spiritûs non ostendo: et nisi desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritualiter amare.

Petrus. Placet, quod dicis.

Index.

Capitum vitæ S. P. Benedicti Abbatis.

	Pag.
Præfatio.	3.
Cap. I. De Capisterii fracti reparatione.	5.
II. De tentatione carnis superata	10.
III. De vitro fracto per signum Crucis.	12
IV. De castigatione Monachi vagi.	19
V. De fonte in vertice montis Viri Dei Oratione producto.	" 21
VI. De rejunctione ferri cum manubrio	23
VII. De ambulatione Mauri super aquam.	24
VIII. De infecto per venenum pane, per corvum longius projecto.	" 26
IX. De ingenti saxo per Viri Dei orationem levato.	" 33
X. De Phantastico coquinæ incendio	34
XI. De puero confracto à pariete sanato.	35
XII. De Monachis qui extra cellam comederunt.	37
XIII. De fratre Valentiniani Monachi, quem Viri Dei in via comedisse carpsit.	" 38

XIV. De simulatione Regis Totilæ deprehensæ. 40
XV. De Prophetiæ Regi Totilæ et Canusinæ Ecclesiæ Antistiti factæ. " 42
XVI. De clerico à dæmone liberato usque ad tempus. " 44
XVII. De destructione Monasterii Viri Dei ab ipso prædictæ. " 49
XVIII. De abscessione flasconis à B. Benedicto cognitæ " 51
XIX. De mappularum receptione à viro Dei cognitæ. " 52
XX. De cogitatione Monachi superbæ à viro dei cognitæ. " 53
XXI. De Ducentis modiis farinæ ante viri Dei cellam inventis " 54
XXII. De dispositione Monasterii per visionem habitæ. " 57
XXIII. De sanctimonialibus fœminis post mortem absolutis. " 60
XXIV. De puero post sepulturam à terra projecto. " 64

XXV. De Monacho qui de Monasterio discedens draconem in itinere invenit. " 65
XXVI. De puero ab Elephantico morbo curato. 66
XXVII. De solidis per miraculum Presbytero redditis. 67
XXVIII. De ampullæ vitreæ in saxis projectæ et non fractæ. " 69
XXIX. De Dolio vacuo oleo impleto. 70
XXX. De Monacho à Dæmone liberato. 72
XXXI. De ligato rustico solo aspectu viri Dei soluto. " 74
XXXII. De mortuo suscitato. 77
XXXIII. De miraculo Scholasticæ sororis ejus 79
XXXIV. De anima sororis ejus visa. 83
XXXV. De mundo ante oculos collecto et de animâ germani Capuanæ Civitatis Episcopi. " 84
XXXVI. Quod Regulam Monachorum scripserit. 88
XXXVII. De Prophetiâ exitus Fratribus Denunciationes. 89
XXXVIII. De insanâ muliere in ejus speu sanatâ. " 93

Epitaphium
Sepulcris S. Benedicti.

Nursia me genuit, Specus obtulit, alta Cassini
Me rapuit vertex, aula beata tenet.

Præparatio ad Missam.

Pro opportunitate Sacerdotis faciendæ.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine Delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum Duplicatur; et tempore Paschali additur in fine, Alleluia: Deinde dicuntur Sequentes Psalmi.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum* concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea* exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum,* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum:* Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine:* in

Præparatio.

Secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te:* ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem:* videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam:* auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus,* et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis* super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei,* magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus:* gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia,* Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri &c.

Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam,* avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ:* operuisti omnia peccata eorum.

ad Missam

Mitigasti omnem iram tuam:* avertisti ab irâ indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster,* et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascêris nobis?* aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos,* et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam,* et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:* quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos,* et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius,* ut inhabitet gloria in terrâ nostrâ.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi,* justitia, et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est,* et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem,* et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit,* et ponet in viâ gressus suos.

Gloria Patri, &c.

Præparatio.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me:* quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum,* salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die:* lætifica animam servi tui: quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis,* et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam:* et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te:* quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine:* et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunque fecisti, venient: et adorabunt coram te Domine:* et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia:* tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua: et ingrediar in veritate tua:* lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

ad Missam.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo,* et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me:* et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me: et synagoga potentium quæsierunt animam meam,* et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et, tu Domine Deus miserator, et misericors,* patiens, et multæ misericordiæ et verax.

Respice in me, et miserere mei,* da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum: ut videant, qui oderunt me, et confundantur:* quoniam tu domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri &c.

Psalmus 115.

Credidi propter quod locutus sum:* ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino,* pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam:* et nomen Domini invocabo.

Præparatio

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus:* pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus:* Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea:* tibi sacrificabo hostiam laudis: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus:* in atriis Domûs Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri &c.

Psalmus. 129.

De profundis clamavi ad te Domine:* Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes,* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine:* Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est:* et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:* Speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem* Speret Israël in Domino.

Ad Missam.

Quia apud Dominum misericordia:* et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel:* ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri &c.

Deindè repetitur Antiphona

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea Sacerdos dicit.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi Domine miserere mei.

℟. Sana animam meam quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et Deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

Præparatio

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratiâ Sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis dignè ministrare, teque æternâ charitate diligere mereamur.

Deus cui omne corpatet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfectè diligere et dignè laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine virtus Spiritus Sancti: quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

ad Missam.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ego volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxtâ ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiusque curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie et pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Orationes

Pro opportunitate Sacerdotis antè celebrationem et communionem

Dicendæ.

Oratio Sancti Ambrosii episcopi.

Die Dominicâ.

Summe Sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in arâ Crucis pro nobis miseris peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem suam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritûs Sancti tui, dicens: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per eundem sanguinem tuum magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, quâ nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis nostris in sanguine tuo: Doce me servum tuum indignum, quem inter cæteras dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare

dignatus es, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ: Doce me quæso, per Spiritum Sanctum, tantum tractare mysterium eâ reverentiâ et honore, eâ devotione et timore quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Inbret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacrotecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et purâ mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et novitis cogitationibus. Munis me beatorum Angelorum piâ et fidâ custodiâ, ac tutelâ fortissimâ, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum Sancti Angeli tui repelle à me, et à cunctis servis tuis durissimum Spiritum superbiæ et cenodoxiæ

invidiæ, et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur: pereant illi qui nos perdere festinant.

Feria Secunda.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quantâ enim cordis contritione, et lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ et tremore, quantâ corporis castitate, et animæ puritate istud divinum et cæleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis jungunturur, ubi adest Sanctorum et Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium

et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus?

Feria Tertia.

Quis dignè hoc sacrificium celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, et verè scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio et vercaciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate, et lacrymarum fonte, cum lætitiâ spirituali, et cælesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias Sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Orationes antè missam.

Feria Quartâ.

Ego enim, Domine, memor veneranda passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostrâ. Suscipe illud quæso, Summe Deus, pro Ecclesiâ sanctâ tuâ, et pro populo quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam Domine!: Si digneris propitius intueri!! tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum necessitates peregrinorum, inopiam debilium, Desperationes languentium, defectus senum, Suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Orationes antè Missam

Feria Quinta.

Tu enim misereris omnium Domine: et nihil odisti eorum quæ fecisti: obmemorare quæ sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, neirascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis iniquitates nostras: et ignem Sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostrâ: et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggeres, quas ipse propitius audire, et exaudiri delecteris.

Feria Sexta.

Rogamus etiam te, Domine Sancte Pater, et pro Spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis Salus, Sanitas, gaudium, et refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum: Domine Deus meus, Sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo, de tuâ carne sanctâ et benedictâ; et agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de Sancto et glorioso beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu Sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo Latere emanavit. ut exindè refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloriâ tuâ. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, et sanctificatio tuæ Divinitatis. Descendat etiam Domine, illa Sancti Spiritûs tui invisibilis incomprehensibilisque majestas,

sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, et lacrymarum devotione, cum reverentiâ et tremore, ità ut placidè ac benignè suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato.

Rogamus etiam te Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui quo quotidiè in Ecclesiâ tuâ pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas quibus repletus bonâ conscientiâ ad Altare tuum accedam, ità ut hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis quem ego daba, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de coelo

descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper refices, et nunquam inde defices: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in viâ, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vivæ, panis mundè, qui descendisti de cælo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tu tamen, et continua salus animæ et corporis mei. Repelle à me insidiantes mihi hostes: recedant procul à præsentiâ potentiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto tramite

ad tuum regnum perveniam. Ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirificâ, ità ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio ante Missam.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tuâ confidens misericordiâ et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non cautè custoditam. Ergò ô pia Deitas, ô tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem

habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea: ut purificatus mente et corpore, dignè degustare merear sancta sanctorum: et concede, ut sancta prælibatio corporis et sanguinis tui, quam

ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæque quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tutio. Amen.

Oratio
S. Thomæ Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cæli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tantâ suscipiam reverentiâ et humilitate,

tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit animae meae. Da mihi quaeso Domine Corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. Ô mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter membra ejus connumerari. Ô amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Terna amoris ad Jesum suspiria ante missam.

Accende ô Jesu igne amoris tui cor meum quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue

ut nihil in mundo mihi placeat praeter te, in amore tui vivere cupio et mori exopto. Voto tua mi Jesu sunt, venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos: et expansis in Cruce brachiis me exspectas: En venio, o Jesu, admitte me, obsecro, et concede, ut in amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi, ne apparearem in conspectu tuo vacuus sed quid dabo tibi, mi Jesu? accipe tua bonitatis dona, animae meae facultates quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil sciam extra te, nihil praeter te amem, nec in ulla re mea, sed tui solius voluntas fiat, Amen.

Devota exercitia alia ante Missam ex S. Francisco Salesio.

1. Actus Adorationis.

O Deus trine in personis, et unus in essentia et tu Domine Jesu Christe, verus Deus et Homo, ex toto corde te adoro, te confiteor, te meum esse verum et unicum Creatorem, Salvatorem, et meum ultimum finem. Et quia mea adoratio nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi persolvit tua sanctissima Humanitas, et

tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria, totaque Curia coelestis, ac Sancta Ecclesia Catholica, tua dilecta Sponsa.

2. Actus Amoris

Insuper ô Domine, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus te amo, et super omnia amare desidero, et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo quo teipsum amas, et quo tua Sanctissima Humanitas, et gloriosissima Virgo Maria, cum totâ coelesti curiâ et Sanctâ Ecclesiâ Catholicâ te amant.

3. Actus Contritionis.

Et cùm, ô Domine, sis infinitè bonus, sapiens, potens, Justus et misericors; ideo ex toto corde doleo, et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia, et venialia, quæ unquam cogitatione, verbo et opere, à primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad præsentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris, tibi offero amaram illam Contritionem, quam Sanctus Propheta David, Sanctus Petrus, et Sancta Maria Magdalena, imò omnes viri pœnitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad præsens; cum voluntate absolutâ, te nunquam amplius, adjuvante tuâ

divinâ gratiâ offendendi.

4. Actus Satisfactionis.

Et quia, ô Domine, in meâ non est potestate ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas, plùsquam obligatum profiteor, ideò in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, pœnas et dolores, quos sustinui, et adhuc sustenturus sum, cum meritis vitæ, Passionis et mortis tui Unigeniti Filii, humillimè petens veniam omnium meorum delictorum, et efficacem gratiam, ut deris antè mortem veram pœnitentiam agere possim.

5. Actus Oblationis.

Præterea, ô Domine, cum hocce meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et æternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris, et purissimæ intentionis, quibus te ipsum in ultima cœnâ nobis in cibum tradidisti, et in aræ crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti. Et loco meæ exiguæ

præparationis, ac præsentis meæ parvæ
devotionis tibi offero profundam illam
humilitatem, charitatem, puritatem, cum
quibus tua sanctissima ellater et omnes
tui fideles et famuli ad hoc SS. Sacramentum
accesserunt, et quibus ornati tui sancti
et apostoli, imò omnes sancti sacerdotes
hoc tremendum sacrificium tibi obtulerunt
à primâ tuâ institutione usque ad præsens,
et quibus nunc adornata tua sancta
Ecclesia catholica ubique locorum offert.

Orationes dicendas.

Cum Sacerdos induitur Sacerdotalibus Paramentis.

Cum lavat manus.

Da, Domine, virtutem manibus meis Abluere, abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum.

Impone Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos omnes diabolicos incursus.

Ad Albam.

Dealba me Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum.

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Orationes dicendæ

Ad manipulum.

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad stolam.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis quam perdidi in prævaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Planetam seu casulam.

Domine, qui dixisti, jugum meum suave est et onus meum leve: fac, ut illud sic portare valeam, quod gratiam tuam consequar. Amen.

Ab episcopo quando in Pontificalibus celebrat.

Ad caligas.

Calcea, Domine, pedes meos in præparationem evangelii pacis; et protege me in velamento alarum tuarum.

Cum exuitur cappa:

Exue me, Domine, veterem hominem cum moribus et actibus suis: et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis.

Cum lavat manus.

Da Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum.

Pone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium versutias superando.

Orationes dicenda.

Ad Albam.

Dealba me, Domine, et à delicto meo munda me: ut cum his qui Stolas suas dealbaverunt in sanguine agni, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum.

Præcinge me, Domine, cingulo fidei, et virtute castitatis lumbos meos, et extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me vigor totius castitatis.

Cùm accipit crucem pectoralem.

Munire digneris me, Domine Jesu Christe, ab omnibus insidiis inimicorum omnium, signo sanctissimæ crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc crucem sanctorum tuorum reliquiis refertam antè pectus meum teneo, sic semper mente retineam et memoriam passionis, et sanctorum victorias Martyrum.

Ad Stolam.

Redde mihi, Domine, obsecro Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedere præsumo ad tuum sacrum mysterium cum hoc ornamento, præsta ut in eodem in perpetuum mereat lætari.

Antè Missam.

Ad Tunicellam.

Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat me Dominus.

Ad Dalmaticam.

Induere me, Domine, indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et Dalmatica justitiæ circumda me semper.

Ad Chirothecas.

Circumda, Domine, manus meas munditia novi hominis, qui de cœlo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit, sic et oblata per manus nostras salutari hostia, gratiæ tuæ benedictionem mereat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati pro nobis obtulit semetipsum.

Ad Planetam.

Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, et onus meum leve: præsta, ut portare illud sic valeam quod possim consequi tuam gratiam.

Orationes dicendæ.

Ad Mitram.

Mitram, Domine, et salutis galeam impone capiti meo: ut contra antiqui hostis, omniumque inimicorum meorum insidias inoffensus evadam.

Ad Annulum cordis.

Cordis et corporis mei, Domine, digitos virtute decora, et septiformis Spiritus sanctificatione circumda.

Ad Manipulum.

Merear, precor Domine, manipulum portare mente flebili: ut cum exultatione portionem accipiam cum justis.

Post Missam.

Gratiarum actio

Post Missam.

Antiphona.

Trium Puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, Benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum duplicatur: et tempore Paschali additur in fine Alleluia.

Canticum Trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: * laudate, et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino; * benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino; * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol et luna Domino, * Benedicite stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino, * benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino; * benedicite frigus, et æstus Domino.

Gratiarum Actio.

Benedicite rores, et pruina Domino;* benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies, et nives Domino:* benedicite noctes, et dies Domino.

Benedicite lux, et tenebræ Domino:* benedicite fulgura, et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum:* laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, et colles Domino:* benedicite universa germinantia in terrâ Domino.

Benedicite fontes Domino:* benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia, quæ moventur in aquis, Domino;* benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ, et pecora Domino:* benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum:* laudet, et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino:* benedicite servi Domini Domino.

Benedicite Spiritus, et animæ justorum Domino:* benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino,* laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu,* laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Post Missam.

Benedictus es Domine in firmamento cæli,* et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus:* laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus:* laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ:* laudate eum in Psalterio, et citharâ.

Laudate eum in tympano et choro,* laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: Laudate eum in cymbalis jubilationis,* omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri. &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Deinde Sacerdos dicit:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Confiteantur tibi Domine opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in gloriâ.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.
℣. Non nobis, Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere: qui Beato Laurentio martyri tuo tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Orationes post Celebrationem.

Et Communionem dicendæ.

Oratio Sancti Thomæ de Aquino.

Gratias tibi ago, Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quàm invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium, quàm spiritualium,

perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio: atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris: ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et feliciter perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio Sancti Bonaventuræ.

Transfige Dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac salutiferrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima charitate ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum; supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis: te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat

cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ, et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem Domûs Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantiâ usque in finem: et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum, Amen.

Rhythmus S. Thomæ ad Sacram Eucharistiam.

Adoro te devotè, latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas:

Orationes.

Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus, in te fallitur.
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius.
Nil hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat solo Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens,
Plagas sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere:
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tua sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelatâ cernens facie,
Visu sim beatus tuae Gloriae, Amen.

Benedictio Mensae.

Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit, Benedicite, et alii repetunt, Benedicite. Deinde dicit ℣. Oculi omnium, et alii persequuntur In te sperant Domine et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione. Gloria Patri et Filio &c. Kyrieeleison, Christeeleison, Kyrieeleison. Pater noster. Secretò. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

Postea Sacerdos dicit: Benedic Domine nos, et haec tua dona quae de tuâ largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Deinde lector mensae dicit: Jube Domine benedicere. Benedictio. Mensae caelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae ℟ Amen.

Post prandium agantur gratiae hoc modo dicto à lectore: Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Benedictio

Omnes surgunt. Sacerdos incipit ℣.

Confiteantur tibi Domine omnia opera. ℟ Et sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri &c.

Postea Sacerdos absolute dicit.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen. deinde alternatim dicitur Psalmus 50. Miserere mei, vel Psalmus 116. laudate Dominum omnes gentes. In fine Gloria Patri &c. Kyrieeleison, Christeeleison, Kyrieeleison. Sacerdos dicit: Pater noster. ℣. Et ne nos inducas. &c. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dispersit dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Benedicam Dominum omni tempore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea.

℟. audiant mansueti et laetentur.

℣. Magnificate Dominum mecum.

℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Mensa.

Deinde Oremus.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen. Pater noster, quo finito, dicit Sacerdos Deus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam aeternam.

Ante Coenam Sacerdos benedicturus mensam incipit Benedicite et alii repetunt Benedicite. Deinde Sacerdos incipit versum et alii prosequuntur.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi. Gloria Patri. &c.

Kyrieeleison, Christeeleison, Kyrieeleison. Pater noster &c. ℣. Et ne nos inducas &c. ℟. Sed libera nos &c.

Oremus.

Benedic Domine nos ;: ut supra in praecio :; Jube Domine benedicere. Benedictio. Ad

Coenam vitæ æternæ perducat nos rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

In fine coenæ dicitur. ℣. Memoriam fecit mirabilium suorum. ℟. Misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri &c. Sacerdos dicit: Benedictus Deus in Donis suis et sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. Deinde alternatim dicitur Psalmus Laudate Dominum omnes gentes.

Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in coenâ: et post comestionem dicitur Psalmus Miserere, vel alius pro diversitate temporis, ut infrà.

Prædictus modus benedicendi mensam et agendi gratias servatur omni tempore — præterquam diebus infrà scriptis, quibus versiculi et Psalmi tantùm variantur. In Nativitate Domini, et per octavam dicitur. ℣. Verbum caro factum est, Alleluia ℟. et habitavit in nobis Alleluia. Gloria Patri &c. In fine dicitur. ℣. Notum fecit Dominus. Alleluia. ℟. Salutare suum Alleluia. alia ut supra. Psalm. 99. Cantate vel laudate

Dominum omnes gentes. Qui Psalmus semper ad beneplacitum diei potest etiam in aliis solemnitatibus.

In Epiphaniâ et per octav. ℣. Reges Tharsis et Insulæ munera offerent Allel. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent Allel. Gloria Patri. &c. In fine dicitur ℣. Omnes de Saba venient Alleluia. ℟. Aurum et thus deferentes Alleluia. Psalm. 71. Deus — judicium tuum Regi da.

Feria V. in Coenâ Domini dicitur — absolutè et sine notâ ℣. Christus factus est pro nobis obediens. ℟. usque ad mortem. — Deinde Pater noster totum secretò.

Quo dicto sine pronuntiatione aliquâ Sacerdos signo crucis benedicit mensam: nec dicitur, Jube Domine nec Tu autem. In fine repetitur ℣ Christus factus est, ut supra. Postea Psalm. Miserere Quo finito sine Gloria Patri, secretò dicitur, Pater noster, Deinde Sacerdos dicit absolutè:

Benedictio.

Oremus.

Respice quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum, et non pronunciatur. Qui tecum, nec Fidelium animæ, sed secretò Pater noster, nec additur Deus det nobis suam pacem.

In Paraseeve eodem modo fit ut in cœnâ Domini, sed additur ad ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. ℟. Mortem autem Crucis.

Sabbato Sancto ad benedicendam mensam dicitur. Benedicite. ℟ Benedicite. ℣ Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, Alleluia. ℟. Venit Maria Magdalena, et altera Maria videre sepulchrum, Alleluia. Gloria Patri &c.

In fine repetitur, ℣ Vespere autem, ut supra cum Gloria Patri, &c. Psalm. Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri. Kyrieeleison, Christeeleison, Kyrieeleison et alia ut supra in primâ benedictione.

Mensa.

In die Paschæ et deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam dicitur tantum. ℣. Hæc dies quam fecit Dominus, Alleluia. ℟. Exultemus et lætemur in eâ, Alleluia. Gloria Patri, &c. In fine repetitur ℣. Hæc dies, cum Gloria &c. Psalm. 117. Confitemini Domino, quoniam bonus:

In Ascensione Domini et per octavam repetitur. ℣. Ascendit Deus in jubilatione Alleluia. ℟. Et Dominus in voce tubæ Alleluia. Gloria Patri &c. In fine dicitur ℣ Ascendens Christus in altum Alleluia. ℟. Captivam duxit captivitatem Alleluia. Gloria Patri &c. Psal. 46. Omnes gentes plaudite manibus.

In Pentecoste et per octavam. ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum Allel. ℟. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis Allel. Gloria Patri &c.

In fine dicitur ℣ Repleti sunt omnes Spiritu Sancto Allel. ℟. Et coeperunt loqui Alleluia. Gloria Patri. Psalm 47. Magnus Dominus et laudabilis nimis: Vel. Laudate omnes gentes.

Litania
De venerabili Sacramento.

Kyrieeleison.
Christeeleison
Kyrieeleison
Christe audi nos
Christe exaudinos
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Panis vivus qui de coelo descendisti,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum
Vinum germinans Virgines,
Panis pinguis, Deliciae Regum,
Juge Sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima
Angelorum Esca,
Manna Absconditum.

Miserere nobis

Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis.
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecellum et Venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
vere propitiatorium pro vivis et Defunctis,
Coeleste antidotum quò a peccatis praeservamur,
Stupendum supra omnium Miraculum
Sacratissima Unicae pastionis commemoratio
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divina affluentia Largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum Mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentiâ verbi caro factus,
Jnceruentum Sacrificium,
Cibus et Convivia,
Dulcissimum Christum cui adsistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum Charitatis,
Offerens et Oblatio,

Spiritualis Dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab indignâ corporis et sanguinis tui susceptione. libera nos Domine.
A concupiscentiâ carnis
A concupiscentiâ oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per Desiderium illud, quo hoc Pascha cum Discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem quâ discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam charitatem quâ hoc divinum Sacramentum instituisti
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in Altari reliquisti,
Per quinque vulnera hujus tui corporis Sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,
Peccatores, Te Rogamus audi nos.
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere et

et conservare Digneris, Te Rogamus audi nos.
Ut ad frequentem usum Eucharistiæ per
veram peccatorum Confessionem nos
perducere digneris, Te Rogamus audi nos.
Ut nos ab omni hæresi, perfidiâ, ac cordis
Cœcitate liberare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut sanctissimi hujus sacramenti pretiosos
et cœlestes fructus nobis impertiri
digneris, Te Rogamus audi nos.
Ut in horâ mortis nostræ hoc cœlesti viatico
nos confortare et munire Digneris.
Te Rogamus audi nos.
Fili Dei. Te Rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis Domine.
Christe audi nos
Christe exaudi nos
Kyrie eleison, Christe eleison Kyrie eleison.
Pater noster &c. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. et Clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum
℟. et cum Spiritu tuo

Oremus

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili
Passionis tuæ memoriam reliquisti tribue
quæsumus, ità nos Corporis et Sanguinis
tui sacra mysteria venerari, ut
Redemptionis tuæ fructum in nobis
jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas
cum Deo Patre &c.